BSB Bayerische StaatsBibliothek

Münchener DigitalisierungsZentrum
Digitale Bibliothek

Tobler, Titus

Libellus de locis sanctis editus circa A. D. 1172 Cui accedunt breviores aliquot descriptiones terrae sanctae. Nach handschriften mit bemerkungen herausgegeben von Titus Tobler

St. Gallen 1865

Exeg. 1088 w
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10412980-8

Copyright

Das Copyright für alle Webdokumente, insbesondere für Bilder, liegt bei der Bayerischen Staatsbibliothek. Eine Folgeverwertung von Webdokumenten ist nur mit Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek bzw. des Autors möglich. Externe Links auf die Angebote sind ausdrücklich erwünscht. Eine unautorisierte Übernahme ganzer Seiten oder ganzer Beiträge oder Beitragsteile ist dagegen nicht zulässig. Für nicht-kommerzielle Ausbildungszwecke können einzelne Materialien kopiert werden, solange eindeutig die Urheberschaft der Autoren bzw. der Bayerischen Staatsbibliothek kenntlich gemacht wird.

Eine Verwertung von urheberrechtlich geschützten Beiträgen und Abbildungen der auf den Servern der Bayerischen Staatsbibliothek befindlichen Daten, insbesondere durch Vervielfältigung oder Verbreitung, ist ohne vorherige schriftliche Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig und strafbar, soweit sich aus dem Urheberrechtsgesetz nichts anderes ergibt. Insbesondere ist eine Einspeicherung oder Verarbeitung in Datensystemen ohne Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig.

The Bayerische Staatsbibliothek (BSB) owns the copyright for all web documents, in particular for all images. Any further use of the web documents is subject to the approval of the Bayerische Staatsbibliothek and/or the author. External links to the offer of the BSB are expressly welcome. However, it is illegal to copy whole pages or complete articles or parts of articles without prior authorisation. Some individual materials may be copied for non-commercial educational purposes, provided that the authorship of the author(s) or of the Bayerische Staatsbibliothek is indicated unambiguously.

Unless provided otherwise by the copyright law, it is illegal and may be prosecuted as a punishable offence to use copyrighted articles and representations of the data stored on the servers of the Bayerische Staatsbibliothek, in particular by copying or disseminating them, without the prior written approval of the Bayerische Staatsbibliothek. It is in particular illegal to store or process any data in data systems without the approval of the Bayerische Staatsbibliothek.

10412980

104729B0

Exig.

1088 W

Theodericus

10412980

10412980

Theoderici

LIBELLUS

DE

LOCIS SANCTIS

editus

circa A. D. 1172.

Cui accedunt

breviores aliquot descriptiones

Terræ Sanctæ.

Nach handschriften mit bemerkungen

herausgegeben von

Titus Tobler.

1865.

St. Gallen.
Huber u. Comp.
(F. Fehr.)

Paris.
Librairie A. Frank.
Rue de Richelieu 67.

10412980

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

10412980

Incipit libellus de locis sanctis a Theoderico editus.

Prologus.

Omnibus sanctæ et individuæ tritinitatis cultoribus et præcipue humanissimi Domini nostri Jesu Christi dilectoribus Theodericus, omnium tam monachorum, quam christianorum peripsema.

Sic in hac vita fragili passionibus Christi communicare ut ei in perpetuum feliciter mereantur conregnare.

Ea, quæ de locis sanctis, in quibus salus, salvator noster, corporalem præsentiam exhibens suæ beatæ humanitatis atque nostræ redemptionis officia sive mysteria implevit, vel ipsi visu cognovimus, vel aliorum veraci

relatu didicimus, cedulis et apicibus annotare curavimus, ut desideriis eorum, qui, cum corporali gressu illuc sequi non possunt, in declaratione eorum, quæ visu nequeant attingere, vel auditu percipiant, pro posse satisfaciamus. Hoc autem studio idcirco nos desudasse, lector omnis agnoscat, ut ex hac ipsa lectione sive narratione Christum in memoria semper discat habere, et eum in memoria retinens studeat amare, amando ei, qui prope passus est, compatiatur, compatiens ejus desiderio accendatur, desiderio ipsius accensus a peccatis absolvatur, a peccatis absolutus gratiam ipsius consequatur, gratiam ipsius consecutus regnum cœleste adipiscatur, quod ipse conferre dignetur, qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Incipit libellus de locis sanctis a Theoderico editus.

104729B0

I. Eversiones, nominum mutatio.

Sicut omnibus novi ac veteris testamenti paginas legentibus liquet, terra Chanaan duodecim israeliticæ plebis tribubus divina constitutione in possessionem data est, quæ, in tres nominatas provincias, Judæam scilicet, Samariam et Galilæam, divisa, multis civitatibus et villis atque castellis antiquitus erat locupletata. Et harum quidem urbium omnia loca vel nomina antiquitus cunctis patebant, a modernis vero utpote adventiis, non nativa habitatione ibidem manentibus præter paucorum nomina locorum, quæ postea suo loco narrabimus, ignorantur. Cum enim dilectissimus Dominus noster Jesus Christus vindictam sanguinis sui, quem cruentis manibus impii Judæi in cruce fuderunt, exigeret, Vespasianus et Titus, romani principes, cum exercitu Judæam intrantes templum et civitatem solo coæquaverunt, totius Judææ civitates et castella destruxerunt, ipsos homicidas de propriis finibus expellentes in exteras

nationes abire compulerunt. Idcirco omnia tam populi, quam totius provinciæ instrumenta sive emolumenta deleta sunt, quin etsi quorumlibet aliqua patent locorum vestigia, omnia tamen fere nomina sunt immutata.

II. Judæa.

Primo itaque de Judæa, quæ caput judaici regni fuisse dignoscitur, quam cum visu vel auditu investigare potuimus, dicendum. In qua civitas sancta Jerusalem quasi oculus in capite sita est, ex qua per mediatorem Dei et Dominum nostrum Jesum Christum cunctis nationibus gratia et salus et vita profluxit. Judæa ab occidente mari magno cingitur, a meridie montibus Arabiæ et Aegypti deserto dirimitur, ab oriente Jordanis flumine terminatur, et a septentrione Samaria et Idumæa finitur. Est autem Judæa plurimum montuosa, quæ, circa ipsam sanctam civitatem in altissima prominens juga, omnes præfatos terminos in descensu habet, sicut e

diverso ab eis ad illam tenetur ascensus. Ipsi autem montes in quibusdam locis durissimis saxorum molibus exasperantur, in aliis vero lapidibus quadraturæ aptissimis decorantur, in plerisque marmore pario rubro et vario adornantur. Ubicunque tamen inter ipsas saxosas congeries aliqua forte terræ gleba reperitur, omnium fructuum proventibus apta esse dignoscitur. Unde montes et colles vinetis et olivetis atque ficulneis refertos esse vidimus, valles autem abundare frumento et hortorum fructibus adspeximus.

III. Jerusalem, valles Josaphat et Gehinnom, mons Gaudii, sepulchrum Josaphat, sanctæ civitatis situs, munitio, portæ, plateæ, domus, cisterna, ligna.

In ipsa denique montium summa eminentia, ut Josephus atque Hieronymus attestantur, sita est civitas illa Jerusalem, quæ universis per orbem urbibus et locis sanctior habetur et eminentior, non quia a se vel per se sit sancta, sed quia ipsius Dei et Domini

nostri Jesu Christi ejusque piæ genitricis præsentia, et patriarcharum et prophetarum atque apostolorum, nec non et aliorum sanctorum inhabitatione, doctrina, prædicatione, martyrio fuerit illustrata. Quæ licet altiora, quam ipsa sit, montium juga scilicet habeat undique imminentia, tamen ipsa, in monte posita, in se ipsa existit colliculosa. Unde accidit, ut ab omnibus circumpositis montibus intuentibus ipsa rapiat adspectum. Denique inter collem Moriam, in quo templum Domini situm est, et montem Oliveti, qui cæteris montibus altius verticem attollit, torrens Cedron et vallis Josaphat interjacet, quæ a monte Gaudii, a quo ab aquilonari parte introitus patet in civitatem, initium faciens et per ecclesiam beatæ Mariæ, quæ ex ipsius nomine sic appellatur, et per sepulchrum Josaphat, regis Judææ, a cujus occisione hoc ipsa sumpsit vocabulum, nec non et juxta natatoriam Siloe cursum dirigens, occurrente sibi alia valle, ab angulo dextro civitatis per novas cisternas inter montem Sion et agrum

Acheldemach cursum reflectente et duo civitatis latera complectente, in profundissimam dehiscit vallem. Sepulchrum vero Josaphat in vallis ipsius medio quadrato opere in modum pyramidis est erectum, circa quod habitacula servitorum Dei seu reclusorum plurima insunt, quæ omnia sub cura abbatis beatæ Mariæ constituta sunt. Porrigitur autem ipsa civitas ab aquilone in meridiem per longum et ab occidente in orientem per latum, turribus, muris et propugnaculis super valles prædictas in montis altitudine firmissime communita. Vallum quoque sive fossatum extrinsecus muro appositum et propugnaculis atque minis munitum existit, quod barbicana vocant. Portas habet septem, quarum sex singulis noctibus usque post solis ortum firmiter obserantur; septima vero muro conclusa nonnisi in die palmarum et in exaltatione sanctæ crucis aperitur. Et cum ipsa sit civitas oblonga, quinque habet angulos, quorum unus est transversus. Plateæ ejus omnes fere magnis lapidibus inferius constructæ,

superius vero plurimæ sunt opere lapideo testudinatæ, fenestris passim ad lumen recipiendum dispositis. Domus, in altum operosa maceria porrectæ, tecta non nostro more culminibus sublimata, sed plano schemate habent æqualia. Ex quibus inundante pluvia in cisternis suis pluvialia stillicidia recipientes usibus suis reservant; nec enim aliis aquis utuntur, quas non habent. Ligna ibi sive fabricis sive ignibus apta cara sunt, quia mons Libanus, qui solus cedrinis, cypressinis et abiegineis abundat lignis, longe ab eis est remotus, nec eum propter gentilium insidias adire possunt.

IV. Turris David, montes Sion et Moria, ager Haceldama, mons Gion, domus Pilati, Antonia.

Turris David incomparabili firmitate ex lapidibus quadratis infinitæ magnitudinis compacta, et juxta portam occidentalem, quæ versus Bethleem viam dirigit, sita cum adjacente solario et palatio noviter ædificato,

fossatis et barbicanis valde munito, in proprietatem cessit regis hierosolymitani. Sita autem est in arcu montis Sion. Unde dicitur in libro Regum: Cepit David autem Sion. Sita est etiam e regione templi Domini, quo civitas porrigitur per latum, habens a meridie montem Sion, ab oriente montem Oliveti. Mons autem Sion ab ipsa turri usque ad ecclesiam beatæ Mariæ foris muros sitam et ab ipsa ecclesia fere usque ad palatium Salomonis et usque ad viam, quæ de speciosa porta ad ipsam turrim ducit, dilatatur, monte quidem Oliveti latior, sed humilior. Et cum mons Moria valli Josaphat incumbens, in quo templum Domini et palatium Salomonis est situm, magnus collis habeatur, mons Sion tanta fere altitudine illi superincumbit, quanta rursus ille valli Josaphat, ut supra dictum est, supereminere videtur. In agro Acheldemach, quem ab ipso prædicta tantum dividit vallis, sepultura peregrinorum est, in qua ecclesia sanctæ Dei genitricis et virginis Mariæ ha-

betur, ubi etiam in die sancto palmarum quemdam fratrem nostrum defunctum, nomine Adolfum, de Colonia natum, sepelivimus. Ipsi autem agro mons Gion incumbit, in quo, ut in libro Regum legitur, Salomo regium diadema suscepit.

De aliis ædificiis communibus sive privatis nulla vel pauca potuimus reperire signa præter domum Pilati juxta ecclesiam beatæ Annæ, matris dominæ nostræ, et juxta piscinam probaticam sitam. De omni opere ab Herode, ut Josephus refert, facto, modo plurimum truncato, nihil occurrit nisi unum latus, quod adhuc restat, palatii, quod vocabatur Antonia, cum porta juxta atrium exterius sita.

V. Ecclesia dominici sepulchri: primum capella ejusdem.

Restat ergo, ut de locis sanctis, propter quæ ipsa civitas sancta vocatur, disseramus. Unde a sancto sanctorum vel a sepulchro dominico duximus incipiendum. Ecclesia dominici sepulchri mirifico fulgens opere ab

Helena regina constat esse fundata, cujus exterior murus quasi per circuli circumferentiam traductus ipsam ecclesiam facit esse rotundam. Locus autem dominici sepulchri vicem centri in ipsa ecclesia obtinet, cujus dispositio ædis est opus super ipsum sepulchrum erectum et marmoreo tabulatu decenter ornatum. Non integram circuli habet circumferentiam, sed ex ipso circulo versus orientem duo parvi parietes procedentes et tertium recipientes tria in se continent ostiola, tres in latitudine, septem in altitudine pedes habentia, quorum unum ab aquilone, secundum ab oriente, tertium a meridie patet. Ab aquilonali intratur, a meridiano exitur, orientale custodum sepulchri usibus vacat. Inter hæc tria ostiola et quartum, quo ad ipsum sepulchrum intratur, altare quidem parvum, sed reverendum habetur, ubi corpus dominicum, antequam sepulturæ daretur, positum fuisse a Joseph et Nicodemo narratur. Denique super os ipsius speluncæ, quod retro ipsum altare situm est, ab eis-

dem per picturam musivi operis corpus Domini sepulturæ mandatur, adstante domina nostra, ejus matre, et tribus Mariis bene ex evangelio notis cum aromatum vasculis, supersedente etiam angelo ipsi sepulchro et lapidem revolvente atque dicente: Ecce locum, ubi posuerunt eum. Inter ipsum quoque foramen et ipsum sepulchrum linea per hemicyclum in longum porrigitur hos continens versus:

Christo surgenti
locus et custos monumenti.
Angelus et vestis
fuit estque redemtio testis.

Hæc omnia musivo opere pretiosissimo sunt depicta, quo opere tota illa domuncula est decorata. Utræque vero januæ acerrimos habent custodes, qui non minus quam sex, nec plus quam duodecim simul intromittunt; nec enim plures loci capit angustia. Per aliam, postquam adoraverint, januam exire compelluntur. Ipsum autem os speluncæ

104729B0

nonnisi rependo cruribus quislibet valet intrare, quod pertransiens optabilem thesaurum invenit, sepulchrum videlicet, in quo benignissimus Dominus noster Jesus Christus triduo requievit, pario marmore, auro et lapidibus pretiosis mirifice decoratum. Tria in latere rotunda habet foramina, per quæ ipsi lapidi, in quo Dominus jacuit, optata peregrini porriguntur oscula, duos et semis pedes in latitudine, cubitum virilem et pedem habens in longitudine. Planities vero inter ipsum sepulchrum et murum posita tantum obtinet spatii, ut quinque homines versis ad sepulchrum capitibus locum habeant geniculatim orandi. Extrinsecus igitur circa ipsum opus decem columnæ sunt dispositæ, quæ sibi impositos gestantes arcus cancellatum efficiunt circillum, cui limbus suppositus est, hanc aureis litteris insculptam continens scripturam: Christus resurgens ex mortuis jam non moritur. Mors illi ultra non dominabitur, quod enim vivit, vivit Deo. Cæterum ad

10412980

caput ipsius, quod ad occidentem versum fuit, altare ferreis parietibus et januis atque seris circumseptum continetur cancellis cypressinis varia pictura decoratis et tecto ejusdem generis similiter decorato ipsis parietibus incumbente. Tectum ipsius operis ex tabulis cupreis deauratis consistit, in medio foramine rotundo existente, circa quod columnellæ in circuitu constitutæ et arculos impositos gestantes superpositum tectum simile ciborio continent. Super tectum quoque ipsum crux deaurata et super crucem columba continetur similiter deaurata. Inter duas autem columnellas superius ab arcubus, in singulis suis arcubus, singulæ lampades dependent in circuitu. Similiter quoque inter inferiores columnas per circuitum binæ lampades dependent. Circa ipsos vero arcus inferiores ipsi versus in unoquoque arcu descripti sunt, quos nequaquam propter colorum in quibusdam abolitionem legere potuimus; nos tamen sex in tribus arcubus tantum ad planum valuimus comprehendere:

Venit in hunc loculum, qui con-
didit antea sæclum.
Ejus adis tumulum, cito fac, ut sis
mihi templum.
Cernere gratum
quem cupit agnum
concio patrum,
Ephrata natum,
Golgatha passum,
petra sepultum,
hic protoplastum
vexit ad astrum,
dæmonis astum
vicit, et ipsum
surgere lassum
dans, ait: Assum.

Circa ferreum vero parietem ad caput, ut diximus, constitutum, cui cancelli super-positi sunt, linea per circuitum porrigitur hos continens versus:

Mors hic deletur
et nobis vita medetur.

Hostia grata datur,
cadit hostis, culpa lavatur.
Cœlum lætatur,
flent tartari, lex renovatur.
Ista docent, Christe,
quia sanctus sit locus iste.

VI. Ecclesia ipsa sive rotunda.

Cæterum pavimenta ipsius ecclesiæ pario et vario marmore speciosissime sunt constrata. Ipsa vero ecclesia quadratis columnis VIII, quæ vocantur pilaria, et XVI rotundis columnis de uno lapide existentibus inferius sustentatur, superius vero, quum inferius et superius sicut ecclesia Aquisgrani testudinata est, octo similiter pilariis et XVI columnis fulcitur. Cymatium inferius, quod per totam ecclesiam circulariter traductum est, græcis litteris descriptum est per totum. Spatium vero muri, quod medio atque superno cymatio interjacet, musivo opere incomparabili specie præfulget, ubi in fronte

chori vel supra arcum sanctuarii, eodem quidem opere, sed antiquo, gratissimo vultu puer Jesus refulgens umbilico tenus cernitur esse depictus, ad sinistram vero ipsius manum mater sua, ad dextram autem Gabriel archangelus illam notam depromens salutationem: Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta in mulieribus et benedictus fructus ventris tui. Hæc salutatio tam latine, quam græce circa ipsum Dominum Christum descripta est. Ulterius quoque ad dextram partem XII apostoli per ordinem eodem opere sunt depicti, habentes singuli eulogias Christi mysteriis competentes in manibus suis. In medio autem eorum Constantinus imperator pro eo, quod una cum matre Helena ipsius ecclesiæ fundator exstitit, in fenestra muro non profunde imposita regali munificentia trabeatus consistit. Post apostolos quoque sanctus Michael archangelus mirifice decoratus effulget. Sequitur ad sinistram ordo XIII prophetarum, qui omnes ad ipsum

speciosum puerum versas habentes facies et prophetias olim ab ipso eis inspiratas manibus præferentes venerabiliter locuti sunt. In quorum medio e regione sui filii sancta Helena regina magnifice decorata consistit. Ipsi deinde muro tectum plumbeum cypressinis laquearíis sustentatum incumbit, habens grande et rotundum in supremo foramen, per quod immissum superne lumen totam ecclesiam perlustrat; nec aliam aliquam fenestram habet.

VII. Chorus dominorum.

Præterea sanctuarium vel sancta sanctorum, a Francis postea opere mirifico constructum, hujus ecclesiæ corpori adjunctum est, qui etiam divinas in ea laudes die ac nocte delectissime celebrant, scilicet canonicis horis prope cursum virginis Mariæ: præmia tenentes, quorum stipendiis media pars oblationum dominici sepulchri deputata est, altera medietas patriarchæ usibus attributa est. Principale altare nomini et honori

104729B0

Domini salvatoris articulatum est, retro quod patriarchalis sedes sita est, supra quam icona dominæ nostræ permaxima et reverendissima, simul et icona beati Johannis Baptistæ, nec non et tertia icona paranymphi sui sancti Gabrielis ab arcubus sanctuarii dependent. In ipsa autem sanctuarii cœlatura ipse Dominus noster Jesus Christus, in sinistra crucem ferens, dextra Adam tenens, cœlum imperialiter intuens, giganteo passu sinistro pede levato, dextro adhuc in terra posito, cœlos penetrat, circumstantibus his: sua scilicet matre et beato baptista Johanne et omnibus apostolis. Sub cujus pedibus linea de muro ad murum per ipsum hemicyclum porrecta hanc continet scripturam:

Crucifixum in carne laudate
et sepultum propter nos glorificate
resurgentemque a morte adorate.

Dehinc in linea superiore per idem hemicyclum ducta hæc continetur scriptura: As-

cendens Christus in altum captivam duxit carnem, dedit dona hominibus. Circa medium vero ipsius chori altare cavum et parvum, sed reverendum habetur, in cujus pavimento cruciola in rotundo circulo est impressa, hoc significans, quod Josephus et Nicodemus corpus dominicum de cruce depositum ibi deposuerunt ad lavandum. Ante ostium vero ipsius chori altare non mediocre habetur, quod ad Surianorum tantummodo spectat officium. Denique, peractis a Latinis quotidie divinis officiis, Suriani vel ibidem ante chorum sive in aliqua ecclesiæ abside divinos decantare solent hymnos, qui etiam plura in ipsa ecclesia habent altariola nullorumque nisi suis usibus apta vel concessa. Hæ sunt professiones sive sectæ, quæ in ecclesia hierosolymitana divina peragunt officia, scilicet Latini, Suriani, Armenii, Græci, Jacobini, Nubiani. Hi omnes tam in conversatione, quam in divinis officiis suas quisque habent differentias. Jacobini in suis festis Hebræorum more tubis utuntur.

104729B0

VIII. Sacer ignis.

Moris est in ecclesia sancti sepulchri, in sabbato sancto paschæ oriente sole tam in ipsa ecclesia, quam in cunctis aliis per civitatem constitutis ecclesiis materiale lumen exstinguere et lumen cœlitus venturum exspectare, ad quod lumen recipiendum una ex lampadibus argenteis, quarum ibi septem dependent, ante ipsum sepulchrum præparatur. Totus deinde clerus et populus in magna et anxia exspectatione constitutus, donec Deus manum suam de alto emittat, præstolantur, sæpius, aliis adjunctis precibus, Deus adjuvet et sanctum sepulchrum alta vociferatione non sine lacrymis intonantes. Interim tam patriarcha sive alii episcopi, qui ad susceptationem sacri ignis conveniunt, quam et alius clerus cum cruce, in qua maxima portio ligni dominici continetur, nec non et aliis sanctorum reliquiis sæpius orandi causa visitare ipsum sepulchrum solent, lustrantes etiam, si Deus adhuc lu-

minis sui gratiam vasi ad hoc constituto immiserit. Solet quippe ipse ignis in certis horis et locis sæpe exhiberi. Nam aliquando circa horam primam, aliquando circa tertiam vel sextam sive nonam horam vel etiam completorii tempore solet advenire. Aliquando quoque ad ipsum sepulchrum, aliquando ad templum Domini, nonnunquam ad sanctum Johannem solet venire. Ipsa vero die, qua nos pauperes cum aliis peregrinis in ipsius sancti ignis eramus exspectatione, statim post horæ nonæ tempus sacer ille ignis advenit, cum ecce concrepantibus ecclesiasticis signis munia missalis officii per totam civitatem persolvebantur, baptisteriis et cæteris officiis antea peractis. Mox vero ut sacer ille ignis advenerit, antequam aliquis suam candelam præter patriarcham accendat, ad templum Domini solet repræsentari.

10412980

IX. Capella b. Mariæ et s. crucis, carcer Dominii, altare s. Nicolai, porta claustralis.

Ab occidentale fere enim parte in exitu ecclesiæ ipsius, quo per gradus amplius quam XXX ad plateam ab ecclesia ascenditur, ante ipsum exitum capella in honore beatæ Mariæ habetur, cui præsunt Armenii. Item ad sinistram ecclesiæ a septentrionale parte capella in honore sanctæ crucis existit, ubi etiam ipsius venerabilis ligni magna portio auro et argento inclusa tenetur, quæ sub Surianorum custodia consistit. Rursus ab eadem parte juxta ipsam capellam versus orientem summe venerabilis habetur capella, in qua altare reverendum honori sanctæ crucis articulatum et ejusdem beati ligni maxima pars auro, argento et lapidibus pretiosis, ita ut videri apte queat, inclusa summa cum reverentia in locello speciosissimo observatur, quod etiam salutare signum adversus paganos in bello, cum necessitas exigit, gestare solent christiani. Hæc etiam capella

musivo opere mirabiliter est decorata. Hanc autem crucem Heraclius, romanus imperator, Cosdre, regi Persarum, bello cum eo gesto ereptam christianis restituit. Juxta ipsam quoque capellam versus orientem ad obscuram quamdam capellam per XX fere gradus intratur, ubi altare itidem venerandum existit, sub cujus pavimento cruciola cernitur impressa. In quo loco Dominus noster Jesus Christus reclusus fuisse perhibetur, quando de judicio Pilati ad locum passionis diutius exspectavit, donec ei et facies velaretur et in Calvaria crux constitueretur, ut in ea posset appendi. Item post ipsam capellam altare in honore sancti Nicolai existit. Dehinc porta claustralis, qua in claustrum intratur canonicorum, quod circa sanctuarium est constitutum. Post claustralis autem ambitus circuitionem ex alia parte ecclesiam intrantibus occurrit imago crucifixi supra ipsam claustralem portam ita depicta, ut cunctis intuentibus magnam inferat compunctionem, circa quam isti versus descripti sunt:

Aspice, qui transis, qui tu mihi causa doloris.
Pro te passus ita, pro me tu noxia vita.

X. Capella b. Helenæ, specus, ubi crux inventa fuit.

Dehinc versus orientem XXX et amplius gradus ad venerabilem beatæ Helenæ reginæ capellam extra ipsam ecclesiam sitam descenditur, ubi in ejus honore altare venerandum habetur. Hinc iterum ad dextram partem per XV vel paulo plus gradus in subterraneum specum descenditur, ubi in dextro specus ipsius angulo cavum altare et sub eo crux pavimento impressa cernitur, in quo loco ipsa regina crucem dominicam reperisse narratur: ubi altare in honore sancti Jacobi habetur. Ipsa quoque capella nullam habet aliam fenestram nisi magnum superne foramen.

XI. Capella flagellationis, sepulchra ducis Godefridi et regum Hierosolymorum, capella sub turri campanaria, capella Johannis Baptistæ atque alia contigua.

Ex alia nihilominus parte ecclesiæ vel in dextro retro chorum altare decorum existit, in quo pars magna columnæ, circa quam Dominus ligatus et flagellatus est, consistit. Exinde ad meridiem ante ipsius ecclesiæ januam quinque sepulchra videntur, quorum unum pretioso opere factum de pario marmore et choro contiguum fratris est regis Hierosolymorum nomine Baldewini, secundum regis Baldewini, fratris ducis Godefridi, super quod tale scriptum est epitaphium:

Hic est Balduwinus alter Judas
Machabæus,
spes patriæ, decus ecclesiæ, virtus utriusque.
Quem formidabant, cui dona, tributa ferebant
Cedar et Aegyptus, Dan ac homicida Damascus.

Proh dolor in modico clauditur hoc tumulo.

Deinde tertium sepulchrum fratris est ipsius, ducis Godefridi, qui ipsam civitatem Hierosolymam, a Saracenis invasam et Turcis, gladio et sapientia recuperavit et christianis restituit, patriarcham a paganis ejectum in sede sua relocavit, clerum in ipsa ecclesia instituit, stipendia ei, ut Deo militare valeret, ordinavit. Quartum sepulchrum patris est istius regis seu Emalrici; quintum patris abbatissæ sancti Lazari.

Iterum fere ad meridiem janua paret, per quam in capellam intratur sub turri campanaria constitutam, et ex illa in aliam capellam reverentia plenam, honori beati Johannis Baptistæ adscriptam transitur, in qua etiam baptisterium exstat. Et ex ipsa rursus in tertiam capellam pervenitur. De prima autem gradibus XL vel plus ascenditur ad plateam.

104729B0

XII. Mons Calvaria, vestibulum foris ante Golgatham, capella crucifixionis, capella Golgatha, januæ ecclesiæ.

Restat nunc de monte Calvaria dicere, qui sicut oculus in capite, ita ipsa in illa resplendet ecclesia, unde per filii Dei mortem et sanguinis effusionem lux et vita nobis proveniet æterna. Ante ipsius ecclesiæ introitum sive januam solido ære indutam, quæ etiam duplex esse dignoscitur, gradibus fere XV ad quoddam parvum, sed cancellatum et picturis decoratum ascenditur consistorium, cujus desuper adstantes custodes et januas observantes, quantos volunt peregrinos intrare, permittunt, ne forte ex magna compressione, quæ sæpius ibi solet accidere, oppressio aliqua sive periculum mortis eveniat. De illo quoque vestibulo per aliud ostium tribus ascenditur gradibus in capellam veneratione et reverentia cunctis sub sole locis supereminentem, quæ quatuor fornicibus grandi robore præditis erecta subsistit, cujus pavimenta omnigeno marmore egregie

constrata, testudo vero sive cœlatura ipsius prophetis, David scilicet, Salomone, Isaia et quibusdam aliis, scripta passioni Christi consonantia munu gestantibus, musivo opere in ea depictis nobilissime est adornata, ita ut illi operi nullum sub cœlo posset æquari, si tantum clare posset videri. Nam propter circumstantes fabricas locus idem aliquantulum obscuratur. Locus autem, ubi crux ipsa stetit, in qua salvator mortem pertulit, versus orientem alto gradu elatus, pario et nobilissimo marmore ex sinistra parte constratus, foramen rotundum et adeo latum, quod caput fere posset intrudi, ostenditur, in quo crux ipsa defixa fuisse dignoscitur: in quod peregrini caput et faciem ob ipsius crucifixi amorem et reverentiam solent imprimere. Ad dextram vero ipse mons Calvaria, altius verticem attollens, pavimento longam, latam et valde profundam rimam ex scissura, quam in morte Christi sustinuit, demonstrat. Insuper anterius horribili foramine hiscens, sanguinem, qui de latere

10412980

pendentis in cruce Christi cucurrerit, usque ad terram se emisisse testatur. In cujus summitate peregrini cruces, quas de terris suis secum illo adduxerint, solent deponere, quarum magnam ibi copiam vidimus, quas omnes custodes Calvariæ in sabbato ignibus solent exurere. Altare venerandum in ea habetur, et in parasceve omne diei illius officium a patriarcha et clero ibidem percelebratur. In sinistra altaris parte, in muro ipsius, crucifixi imago miræ pulchritudinis est depicta, adstante ad dextram Longino cum lancea latus pungente, a sinistra Stephaton cum spongia et arundine acetum offerente, adstante etiam ad sinistram matre, ad dextram Johanne, per circuitum vero ipsius duo grandes porriguntur. Lineæ litteris græcis per totum descriptæ. Ad dextram quoque ipsius altaris jam mortuum Christum Nicodemus et Joseph de cruce deponunt, ubi etiam hoc est descriptum: Descensio Domini nostri Jesu Christi de cruce. Hinc per XV gradus in ecclesiam descen-

104729B0

ditur et ad capellam, quæ Golgatha vocatur, reverendam quidem, sed obscuram pervenitur, retro quam fenestra profunda exstat, quæ finem scissuræ, quæ Calvariâ illo descenderat, intuentibus demonstrat. In quo loco sanguis Christi, qui per scissuram illuc cucurrerat, restitisse perhibetur. Præterea super arcum ipsam Golgatham concludentem vel in latere Calvariæ versus occidentem constituto tabula quædam in pariete depicta perspicitur, in qua hi versus aureis litteris descripti esse videntur:

Est locus iste sacer, sacratus sanguine Christi.
Per nostrum sacrare sacro nihil addimus isti.
Sed domus huic sacro circumsuperædificata
est quinta decima quintilis luce sacrata
cum reliquis patribus a Fulcherio patriarcha.

104729B0

Ante fores ecclesiæ inter duas januas Dominus Christus reverendo habitu quasi jam a morte resurgens consistit, ad cujus pedes Maria Magdalena prostrata, non tamen ipsos pedes tangens, jacet, cui Dominus chirographum porrigit hos versus continens:

Quid, mulier, ploras?
Jamjam quem quæris, adoras.
Me dignum recoli,
quem jam vivum tu modo tangere noli.

XIII. Capella trium Mariarum, capella Armeniorum, alia capella parvula, platea et forum rerum venalium, ecclesia et hospitale Johannis B., ecclesia b. Mariæ Majoris, ecclesia s. Mariæ latina.

Exeuntibus ecclesiam versus meridiem occurrit quasi quoddam prætorium quadrangulum, quadratis lapidibus constructum, ad cujus sinistram partem juxta Golgatha exterius capella trium Mariarum in honore habetur, quam Latini tenent. Ulterius quoque ad meridiem

alia capella exstat, cui præsunt Armenii. Inde ulterius parvula quædam existit capella. In exitu vero ejusdem planitiei ad sinistram pla-
tea testudinata occurrit rebus referta vena-
libus. A fronte ecclesiæ ipsum forum ve-
nalium rerum se repræsentat. In qua fronte sex columnæ superius arcuatæ consistunt, ubi ex templo versus meridiem ecclesia et hospitale beati Johannis Baptistæ offertur. Quæ quantis ædificiis decorata, quantis do-
miciliis et lectulis atque aliis utensiliis in usus pauperum et infirmorum atque debilium ex-
hibendis abundans, quam in substantia pau-
perum recreationibus impendenda locuples, quam in egenorum sit sustentatione sollicita, nullus alteri verbis fidem posset facere, nisi ipse propriis hoc oculis valeret deprehen-
dere; siquidem transeuntes per palatium numerum simul accumbentium nullo modo quivimus discernere, lectorum vero numerum millenarium vidimus excedere. Nec enim quisque regum vel tyrannorum præpotens tantos, quantos illa domus, quotidie posset

104729B0

sustentare. Nec mirum. Nam præter ea, quæ in exteris possident terris, quorum non est facile numerus comprehendi, omnes fere civitates et villas ad Judæam quondam pertinentes a Vespasiano et Tito destructas cum universis agris et vinetis tam ipsi, quam templarii sibi subjugaverunt, disposita per universam regionem militia et castris adversus paganos valde munitis. Post hoc ad orientem stanti sequitur ecclesia beatæ Mariæ, in qua sanctimoniales sub abbatissa constitutæ divinas quotidie celebrant laudes. Qui locus idcirco beatæ Mariæ dicatus esse dicitur, quia, dum salvator noster ad passionem ductus male tractaretur, ipsius jussu in eodem loco, cœnaculo quondam, quod tunc ibidem exstitit, inclusa fuisse perhibetur. Item sequitur confestim alia ecclesia ad orientem posita, quæ similiter dominæ nostræ exstat articulata, eo quod, cum Dominus noster tantum supplicium pro nostra salute pateretur, ipsa, spasmo affecta præ doloris magnitudine, manibus ferentium eam illuc in sub-

terraneum specum perlata est, ubi dolori suo satisfaciens capillos capitis sui evellebat, qui adhuc in ipsa ecclesia in ampulla vitrea conservantur. Est etiam in ipsa ecclesia caput beati Philippi apostoli auro valde decoratum et brachium sancti Simeonis apostoli brachiumque sancti Cypriani episcopi. Monachi in eadem ecclesia sub regula et abbatis imperio ibidem Deo deserviunt.

XIV. Templum Domini: atria, scalæ, specus subterraneus, piscina grandis, domus, horti, schola b. Mariæ, lapis magnus, claustrum et officina clericorum, aliæ piscinæ.

Hinc ad meridiem reflexo aliquantulum calle, per speciosam portam templi ad ipsum templum Domini pervenitur, per mediam fere civitatem transeundo, ubi de inferiore atrio ad superius ascenditur gradibus viginti duobus, et de superiori atrio intratur in templum. Ante ipsos vero gradus in atrio inferiori gradibus XXV vel amplius in piscinam grandem descenditur, ex qua, ut fertur,

per subterraneum specum usque ad ecclesiam sancti sepulchri transitur in tantum, quod ecclesiâ in sabbato sancto ignem cœlitus accensum per ipsum specum ad templum Domini deferri referatur. In ipsa autem piscina hostiæ ad templum Domini debebant offerri; secundum legis mandatum lavabantur. Atrium autem exterius duplum vel paulo plus majus est atrio interiori, cujus, sicut exterioris, pavimenta latis et magnis lapidibus constrata sunt. Permanent autem adhuc duo latera atrii exterioris; alia duo in usus cesserunt canonicorum et templariorum. In ipsis enim domos et hortos constituerunt. Ab occidentali latere duobus ordinibus graduum in atrium superius ascenditur et meridiano similiter. Super gradus autem, ante quos piscinam diximus esse sitam, quatuor columnæ arcuatæ consistunt, ubi etiam sepulchrum divitis cujusdam viri, ferreis cratibus circumseptum, ex alabastro decenter incisum consistit. Ad dextram quoque super meridianos gradus similiter quatuor columnæ

104729B0

existunt arcuatæ, ad sinistram vero tres. Ad orientem nihilominus XV duplices gradus existunt, per quos de aurea porta ascendi-
tur in templum, secundum quos psalmista XV composuit psalmos, super quos quo-
que consistunt columnæ. Ad meridianam præterea plagam super duos angulos atrii interioris duæ consistunt domunculæ, quarum
una versus occidentem posita schola dicitur fuisse beatæ Mariæ. Inter templum quoque et duo latera atrii exterioris, orientale sci-
licet et meridianum, lapis magnus situs est in modum altaris, qui secundum quorundam traditiones os est piscinarum ibidem consis-
tentium, secundum aliorum vero opinionem Zachariam, Barachiæ filium, ibidem perem-
tum fuisse designat. Ab aquilonali autem parte claustrum et officinæ existunt clerico-
rum. Circa ipsum vero templum grandes piscinæ sub pavimento existunt. Inter aream quoque portam et XV gradus grandis pis-
cina vetus et collapsa existit, in qua anti-
quitus hostiæ diluebantur offerendæ.

104129B0

XV. Descriptio templi; ubi Christus oblatus fuit, ubi Jacob scalam vidit.

Ipsum denique templum inferius octogonum esse manifestum est; inferius usque ad medium spatium nobilissimo marmore ornatum et a medio usque ad superiorem, cui tectum incumbit, limbum musivo opere decentissime decoratum. Ipse vero limbus, circulariter per totum templi ambitum circumductus, hanc continet scripturam, quæ, a fronte vel ab occidentali introitu inchoans, secundum solis circuitum sic est legenda, in fronte: Pax æterna ab æterno patre sit huic domui; in secundo latere: Templum Domini sanctum est. Dei cultura est. Dei sanctificatio est; in tertio latere: Hæc est domus Domini firmiter ædificata; in quarto latere: In domo Domini omnes dicent gloriam; in quinto: Benedicta gloria Domini de loco sancto suo; in sexto: Beati, qui habitant in domo tua, Domine; in septimo: Vere Dominus est in loco suo sancto, et

ego nesciebam; in octavo: Bene fundata est domus Domini super firmam petram. Præterea versus orientem juxta beati Jacobi ecclesiam columna quædam musivo opere in muro depicta est, supra quam talis est descriptio facta: Columna romana. Superior autem murus angustiori circulo, fornicibus interius sustentatus, circumducitur, qui, plumbeum gestans tectum, in summo grandem pilam et super eam crucem deauratam habet stantem. Per quatuor januas intratur et exitur, unaqæque janua suam de quatuor mundi plagis respicientem. Subsistit autem ipsa ecclesia quadratis fornicibus VIII, columnis XVI, cujus muri et cœlatura musivo opere nobiliter sunt decorata. Ambitus vero chori quatuor habet fornices sive pilaria et octo columnas, quæ interiorem murum, cum ipsius testudine in altum porrecta, gestant. Super ipsos autem chori arcus linea in circuitu circulariter porrigitur hanc ex ordine continens scripturam Domus mea domus orationis voca-:

tur, dicit Dominus. In ea omnis, qui petit, accipit, et qui quærit, invenit, et pulsanti aperietur. Petite et accipietis, quærite et invenietis. In superiori vero circulo similiter circumducto hæc continetur scriptura: Audi, Domine, hymnum et orationem, quam servus tuus orat coram te, Domine, ut sint oculi tui aperti et aures tuæ intentæ super domum istam die ac nocte. Respice, Domine, de sanctuario tuo et de excelso cœlorum habitaculo. In introitu proinde chori altare in honore beati Nicolai habetur ferreo pariete inclusum superius limbum habente et hanc scripturam continente, in fronte: Anno millesimo C°.I°, indicta quarta, epacta XI; in sinistro latere: Ab Antiochia capta LXIIII. Jerusalem LXIII; in dextro latere: Tripolis LXII. Berytus LXI. Ascalona XI anni. Verum versus orientem ad latus chori locus ferreo pariete januas habente circumseptus omni venera-

104729B0

tione dignus habetur, in quo Dominus noster Jesus Christus, ad templum cum oblatione sua XL° nativitatis suæ die delatus, a parentibus oblatus est, quem ad templi ipsius introitum senex Simeon in ulnas suscepit et ad locum oblationis detulit, in cujus loci fronte hi versus sunt descripti:

Hic fuit oblatus rex regum virgine natus.
Quo locus ornatur, quo sanctus jure vocatur.

Juxta eundem locum vix uno remotus cubito lapis ille situs est, quem Jacob patriarcha supposuerat olim capiti suo, super quem dormiens scalam ad cœlos vidit erectam, in qua descendentes et ascendentes angelos vidit, et dixit: Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam. In cujus loci fronte isti continentur versus:

Corpore sopitus, sed mente Jacob vigil intus
hic vidit scalam, titulum direxit ad aram.

104729B0

XVI. Capella b. Jacobi extra templum, in hoc porro locus, ubi Dominus de medio orbis interrogatus fuit, ubi Ezechiel aquas vidit, crypta sub choro, fenestræ, altare principale, historia.

Hinc per orientalem portam ad capellam beati Jacobi apostoli, fratris Domini, intratur, ubi idem, de templi pinna præcipitatus et, fullonis fuste cerebro confracto, ab impiis Judæis peremtus, primo in valle Josaphat templo contigua sepultus et postea a fidelibus in eundem locum relatus honorifice, ut eum decuit, sepulturæ traditus est, super cujus sepulchrum hoc scriptum est epitaphium:

Dic, lapis et fossa: Cujus sunt, quæ regis ossa?
Sunt Jacobi justi. Jacet hic sub tegmine busti.

Est autem ipsa ecclesiola rotunda, inferius latior, superius angustior, columnis VIII sustentata et picturis optime decorata. Redeuntibus ab ipsa etiam per eandem portam,

retro ostium ipsius portæ, ad sinistram quadrangulus quidam occurrit locus in lato et longo quinque habens pedes, in quo Dominus stans et ubi esset interrogatus in Jerusalem, quam in medio orbis sitam asserunt esse, respondit et hoc: Locus ille Jerusalem appellatur. Item retro idem ostium e regione prædicti loci seu versus aquilonem alius occurrit locus illas continens aquas, quas Ezechiel propheta vidit de templo a latere dextro. Redeuntibus in ecclesiam majorem ad meridiem juxta chorum, immo sub ipso choro ostium paret, per quod gradibus fere XLV in cryptam intratur, ubi scribæ et pharisæi mulierem in adulterio deprehensam adduxerunt ad Dominum Jesum eam accusantes, cui pius magister peccata remisit et a condemnatione liberavit. Quo exemplo peregrinis indulgentia ibidem dari solet. Habet autem ipsa ecclesia fenestras inferius XXXVI, superius XIIII, quæ simul junctæ faciunt quinquaginta, et est in honore nostræ dominæ sanctæ Mariæ consecrata, cui etiam

principale altare articulatum est. Ipsa quoque ecclesia a beata Helena regina et ejus filio Constantino imperatore fertur esse fundata. Videamus ergo, quoties vel a quibus ipsum templum ædificatum fuerit sive destructum. Sicut legitur in libro Regum, primus rex Salomon templum Domini divina missione magnis impensis ædificavit, non rotundum, uti nunc conspicitur, sed oblongum, quod usque ad tempora Sedechiæ, regis Judæ, permansit, qui captus a Nabuchadenasor, rege Babyloniorum, in Babyloniam captivus adductus est, et cum eo Juda et Benjamin captivati similiter in terram Assyriorum translati sunt. Mox Nabuzardan, princeps coquorum ipsius, in Jerusalem cum exercitu veniens templum et civitatem ipse cremavit, et hæc prima ejusdem templi fuit eversio. Post LXX autem captivitatis annos reversi ad terram Juda filii Israel, ducibus Zorobabel et Esdra, cum favore et permissione Cyri, Persarum regis, idem templum in eodem loco reædificaverunt et, quoad melius potuerunt,

ornaverunt. In reædificando autem templo et civitate una, ut fertur, manu lapides, alia propter gentilium circummanentium assiduas infestationes gladios tenebant. Hæc ergo secunda fuit templi reædificatio. Postea eadem civitas, ut in gestis Machabæorum legitur, ab Antiocho, rege Syriæ, etsi non penitus, tamen ex maxima parte vastata est, ornatus templi penitus destructus, sacrificia prohibita, muri diruti et quasi in solitudinem tam civitas, quam templum redactum est. Quod postea Judas Machabæus et fratres sui cum adjutorio divino, fugato Antiocho ejusque ducibus de Judæa propulsis, reædificaverunt et renovaverunt, et reparato altari sacrificia et oblationes, sicut prius, sacerdotibus dispositis instituerunt. Hæc quoque templi tertia fuit restitutio, quæ usque ad tempora permansit Herodis, qui, ut Josephus refert, contradicentibus licet Judæis, hoc templum solo dejiciens majori et sumptuosiori opere aliud instituit. Et hæc quarta templi reædificatio fuit, quæ etiam usque ad tempora Ves-

pasiani et Titi perduravit, qui, expugnata omni provincia, tam civitatem, quam templum funditus everterunt. Et hæc quarta templi fuit eversio. Post hoc, ut paulo ante dictum est, hoc templum, quod nunc videtur, ad honorem Domini nostri Jesu Christi ejusque piæ genitricis ab Helena regina et ejus filio, imperatore Constantino, constructum est. Et hæc etiam quinta templi fuit restitutio.

XVII. Palatium Salomonis, templariorum domus et stabula, viridaria, receptacula aquarum et lignorum, horrea, refectoria, curia nova et antiqua, ecclesia nova.

Sequitur ad meridiem palatium Salomonis, quod, in modum alicujus ecclesiæ oblongum et columnis interius sustentatum, nec non in fine sanctuarii similitudine circulariter ductum et magna atque rotunda testudine elatum, in speciem, ut diximus, ecclesiæ est formatum. Hoc cum omnibus appenditiis suis in proprietatem cessit militum templariorum, qui, in eo et in aliis domibus ad ipsum perti-

nentibus commanentes et arma, vestes et cibaria habentes reposita, ad custodiendam provinciam atque tuendam semper invigilant. Habent etiam sub se stabula equorum ab ipso rege quondam ædificata, ipsi palatio contigua mirandi operis varietate perplexa, fornicibus erecta, arcubus et testudinibus multipliciter variata, quæ secundum nostram æstimationem X millia equorum cum eorum custodibus posse capere testati sumus. Denique a fine usque ad finem ipsius ædificii in longo et lato baleari arcu semel emissa sagitta nemo posset pertingere. Superius domibus, solariis et ædificiis cunctis utilitatibus aptis multiformiter abundat, superne vero deambulantibus viridariis, prætoriis, vestibulis, consistoriis et pluviarum receptaculis in replendis cisternis exuberat; inferius vero lavacris, horreis, granariis, lignorum receptaculis ac cæteris necessitatum provisionibus superexcellit. Ex alia ipsius palatii parte seu ad occidentem novam templarii domum constituerunt, cujus altitudinem, longitudinem,

latitudiuem, cellaria, refectoria, gradus et tectum, præter illius terræ morem, alto culmine elatum, etsi ego possem referre, auditor vix posset credere. Nam novam ibi constituerunt curiam, sicut ex alia parte habent antiquam. Novam etiam ibidem ad latus atrii exterioris miræ magnitudinis et operis condunt ecclesiam. Quantæ autem vires et divitiæ sint templariorum, non facile quisque valet nosse. Nam omnes fere civitates vel villas, quibus olim tota locuplebatur Judæa, quæ a Romanis erant destructæ, tam ipsi, quam hospitarii, constitutis ubique castellis et militibus in iis dispositis, sibi subjugaverunt, præter plurimas et infinitas possessiones, quas in exteris terris habere noscuntur.

XVIII. Muri antiqui circa templum, reliquiæ Antoniæ, Moria, ecclesia ad balneum sive ad præsepe Domini, domus justi Simeonis.

Et civitatis quidem murus a parte meridiana et orientali omnes eorum ambit habitationes, ab occidentali vero et aquilonali

murus a Salomone factus tam eorum habitacula, quam et atrium exterius et ipsum circuit templum; ad aquilonalem vero atrii partem ex reliquiis Antoniæ ab Herode factæ unus cum una porta remansit paries. Ipse autem collis, in quo templum situm est, Moria antiquitus vocabatur, in quo rex David angelum Domini vidit stantem et evaginato gladio populum cædentem, quando ad Dominum dixit: Ego sum, qui peccavi; ego inique egi; obsecro, ut in me vertas manus et domum patris mei; isti, qui oves sunt, quid fecerunt? In hoc colle area fuit Areuna Jebusæi, quam ad constructionem domus Domini ab eo emit David. Hinc per quoddam posticum angusta via inter murum orientalem civitatis et hortum templariorum transitur et ad venerabilem ecclesiam, quæ ad balneum sive ad præsepe Domini salvatoris dicitur, pervenitur. Ibi cunæ Domini Christi versus orientem in edito muro ante quamdam fenestram honorifice dispositæ reverentur; ad meridiem vero

concha lapidea grandis in terra posita videtur, in qua balneorum usus infans ipse habuisse dignoscitur; ad aquilonalem vero partem lectus dominæ nostræ, in quo, dum filium sinu lactaret, decubuisse ostenditur. In hanc ecclesiam L fere gradibus descenditur, quæ etiam quondam domus justi Simeonis fuit, in qua ipse in pace quiescit.

XIX. Natatoria Siloe.

Ab ipsa ecclesia sive ab ipso civitatis angulo versus meridiem per declivum montis latus secus antemuriale, quo templarii domos et curiam suam munierunt, ubi etiam antiquitus ipsius civitatis erat positio, puta ad natatoriam Siloe via dirigitur, quam idcirco, sic fertur, vocaverunt, quod a monte Silo occultis meatibus aquæ fontis illius illuc soleant illabi. Quod mihi ideo est in ambiguo, quia et noster mons, in quo civitas est sita, et alii interjacent montes, nec recto tramite vallis quælibet ab ipso monte ad eam

dirigitur, nec propter remotionem locorum tanti montes cavari possent. Distat enim mons Silo a civitate milliaribus duobus. Hoc ergo in medio relinquentes, ea, quæ vera esse novimus, auditoribus proponamus. Hoc pro vero fatemur, quod in fontis modum de terra scaturiat, qui scilicet fons ipsam replens piscinam et in aliam juxta positam descendens non ultra comparet. Descenditur autem in ipsam piscinam gradibus XIII, ubi in circuitu fornices arcus gestantes consistunt, sub quibus magnis lapidibus per circuitum deambulatorium factum est, super quod consistentes inferius decurrentes haurire valeant aquas. Alia autem piscina quadrangula simplici muro circumdata est. Ista natatoria olim erat intra civitatem, modo ab ea longe remota est; nam duplo fere tantum hic civitati demtum est, quantum circa sepulchrum Domini additum est.

XX. Bethauia, Bethphage, porta aurea cum capella.

Nunc igitur secundum Christi passionis ordinem nostræ narrationis nos oportet dirigere sermonem, qui per suam gratiam ita nobis ei donet compati, ut ei possimus conregnare. Milliario ab Hierosolymis Bethania, ubi domus Simonis leprosi, Lazari et ejus sororum Mariæ et Marthæ erat, distat, ubi Dominus sæpe hospitari solebat. Sita est autem Bethania juxta vallem Oliveti, montem a parte orientali terminantem. A Bethania ergo in die palmarum dilectissimus Dominus noster Jesus Christus præcedens et Bethphage veniens, qui locus inter Bethaniam et montem Oliveti medius est, ubi etiam honesta capella in ipsius honore est fabricata, binos ad adducendam asinam et pullum misit discipulos, et stans super lapidem grandem, qui in ipsa capella manifeste videtur, et asino insidens per montem Oliveti Hierosolymam properavit, cui turba multa in descensu montis ipsius obviam processit. Ipse vero progre-

diens ultra vallem Josaphat et torrentem Cedron ad auream portam, quæ duplex est, pervenit. In cujus adventu una porta, excusso pessulo, per se illi patuit, alteram vero, extracto violenter ejus circulo, cum sonitu magno patere fecit: quapropter ibidem capella in ejus honore consecrata est, ubi idem circulus deauratus in magna veneratione habetur. Ipsa vero porta nunquam nisi in die palmarum et in exaltatione sanctæ crucis solet aperiri, pro eo, quod Heraclius imperator cum magna ipsius ligni portione, quod de Perside adduxerat, per eam transivit. Ipse autem in templum intrans in eo quotidie usque ad feriam quartam erat docens.

XXI. Carcer Petri.

Cum eo igitur in montem Sion cupio ascendere et quid post hæc fecerit, videre; sed prius cum Petro volo incarcerari, ut cum eo a Christo docear non negare, sed orare. In

via quippe de templo provenientibus ad montem Sion decora occurrit capella, in qua carcer ille profunda altitudine sub terra positus, utpote ad quem XX et amplius gradibus intratur, habetur, in quo Herodes Junior sanctum vinxerat Petrum, de quo eum angelus Domini eduxit. In introitu ipsius capellæ isti sunt versus descripti:

Vestibus indutus, Petre, surge,
recede solutus.
Namque catenarum sunt vincula
rupta tuarum.
Nunc scio re certa, cum porta mihi
sit aperta.
O pietas Christi, quoniam me salvificasti.

XXII. Mons Sion, ecclesia s. Mariæ: locus, ubi obiit, cœnaculum, locus, ubi spiritus sanctus venit, ubi Christus pedes apostolorum lavit, ubi Thomas Dominum palpavit, sepultura b. Stephani.

Sion ergo mons, ad meridiem extra muros civitatis ex maxima parte constitutus, eccle-

siam dominæ nostræ sanctæ Mariæ articulatam, muris, turribus, propugnaculis adversus gentilium insidias valde munitam continet, in qua regulares præpositum habentes Deo deserviunt. Quam dum intraveris, in media abside ad sinistram locum illum venerabilem reperies marmore pretioso exterius et opere musivo interius decoratum, in quo Dominus noster Jesus Christus dilectæ matri suæ, dominæ nostræ sanctæ Mariæ, animam assumens ad cælestia transtulit. Quod opus inferius quadratum est, superius vero rotundum gestat ciborium. A dextris autem gradibus fere XXX ad illud ascenditur cœnaculum, quod in fine absidis situm est: in quo mensa cernitur, in qua ipse Dominus noster cum discipulis suis cœnavit, et post proditoris abscessum ipsis discipulis corporis et sanguinis sui mysteria tradidit. Ab illo loco ad meridiem in eodem cœnaculo ultra spatium XXX pedum altare habetur in eo loco, ubi spiritus sanctus super apostolos venit. Abhinc tantum inferius per gradus descen-

104729B0

ditur, quantum huc est ascensum, et in capella ipsi cœnaculo supposita concha illa lapidea in muro posita videtur, in qua salvator pedes apostolorum in eodem loco lavit, ubi juxta ad dextram altare habetur in loco, ubi Thomas latus Domini post resurrectionem palpavit, qui pro hoc ipso digitus appellatur. Ex hoc per quoddam vestibulum circa ipsius ecclesiæ sanctuarium transitur et ad sinistram ejus altare venerandum habetur, sub quo corpus beati Stephani protomartyris a Johanne, episcopo hierosolymitano, sepultum fuisse non dubitatur, quod postea a Theodosio imperatore Constantinopoli Romam translatum esse legitur, quod etiam primo de Hierosolyma Constantinopolim ab Helena regina perlatum esse fertur. Ante chorum quædam pretiosi marmoris columna juxta murum posita est, quam simplices homines circummigrare solent.

XXIII. Torrens Cedron, Gethsemane, ecclesia b. Mariæ, capella sepulchri, capella parvula superius secus scalam, legenda de Judæo corpus s. Mariæ avellere volente.

Hinc post cœnam suam Dominus trans torrentem Cedron egressus est, ubi erat hor-tus. Torrens Cedron per mediam vallem Josaphat graditur. In loco autem, ubi hortus ille fuit, ecclesia beatæ Mariæ cum suis offi-cinis constituta est, ubi ipsa corporaliter fuit sepulta. Intratur vero per quamdam por-ticum gradibus amplius quam XL in cryp-tam, in qua sanctum ejus exstat sepulchrum, quod opere pretiosissimo de marmore et opere musivo decoratum est. In hujus cryptæ introitu hi duo versus appositi sunt:

Hæredes vitæ, dominam laudare
venite,
per quam vita datur mundique
salus reparatur.

Quod in circuitu XX columnis arcus gestan-tibus circumdatum limbum in circuitu et tec-

tum desuper habet. In ipso autem limbo hi quatuor versus descripti sunt:

Hic Josaphat vallis, hinc est ad sidera callis.
In Domino fulta, fuit hic Maria sepulta.
Hinc exaltata cœlos petit inviolata:
spes captivorum, via, lux et mater eorum.

Super tectum quoque ciborium rotundum sex duplicibus columnis fultum cum pila et cruce deaurata desuper habet, et inter duas columnellas undique lampas dependet. Ad ipsum autem sepulchrum a parte occidentali intratur et per aquilonalem exitur. Assumtio autem ipsius in cœlatura superius optime depicta est sub recta linea hanc scripturam continente: Assumta est Maria in cœlum: gaudent angeli et collaudantes benedicunt dominam. Circa sanctuarium quoque ipsius basilicæ regula

porrigitur hanc continens scripturam: Exaltata est sancta Dei genitrix super choros angelorum ad cœlestia regna. Abhinc in ipsam ecclesiam tantis ascenditur gradibus, quantis in cryptam descensum est. Est autem ipsa ecclesia et omnes ejus officinæ muris altis, turribus firmis et propugnaculis adversus gentilium insidias valde munita, circa se plurimas habens cisternas. Exeuntibus ipsam cryptam ad sinistram capella parvula in ipsis sita gradibus occurrit. In ipsa quoque ecclesia Suriani propriuni habent altare. In cœlatura quoque, quæ ipsis gradibus, quibus in ipsam cryptam descenditur, incumbit, migratio dominæ nostræ cernitur esse depicta, ubi dilectus filius ejus, Dominus noster Jesus Christus, cum multitudine angelorum assistens et ejus animam suscipiens ad cœlestia transfert, apostolis gemituose adstantibus et devotum ei ministerium exhibentibus. Cujus corpori sanctissimo feretro imposito dum superpositum velamen vellet quidam Judæus avellere, angelus utrasque

10412980

manus ei gladio amputavit, quibus in terram cadentibus trunci in corpore remanserunt inanes: fertur enim quia, cum ipsa domina nostra migrasset de corpore in monte Sion, ut in anterioribus dictum est, et sancti apostoli sanctissimum corpus ipsius feretro reverenter impositum in valle Josaphat tumulandum per viam extra muros civitatis versus orientem tendentem ducerent, Judæi, nondum sopita invidiæ et odii flamma, quam dudum in eam ejusque filium exercuerant, ut ei aliquid ignominiæ inferrent, occurrerant, quorum unus, audacior ac cæteris infelicior, ad sancti corporis gestatorium accedens velamen ei superpositum ausu improbo nisus est avellere, sed hanc ejus temeritatem et beatæ virginis Mariæ merita et ultio divina graviter mulctaverunt. Nam utrisque manibus et brachiis arefactis, cæteris non sine horrore velocem fugam incussit.

10412980

XXIV. Ecclesia Gethsemane, ecclesia orationum (salvatoris), locus altior, ubi patriarcha palmas benedicit, via captivitatis.

Progresso deinde versus montem Oliveti ad meridiem non modica tibi occurrit ecclesia, Gethsemane nuncupata, ubi salvator, cum discipulis suis ab horto veniens, intravit et ad eos dixit: Sedete hic, donec vadam illuc et orem. Ingressus itaque in eam statim invenies altare venerandum, et ad sinistram in subterraneum specum ingrediens quatuor loca invenies denotata, in quibus singulis terni apostoli cubantes obdormierunt. Est etiam ad sinistram saxum grande in ipsius specus angulo, in quod ipse Christus digitos imprimens sex in eo fecit foramina. Et ipse avulsus est ab iis, quantum jactus est lapidis. Nam paulo altius versus montem Oliveti, ad meridiem, trinam fecit orationem, in quo loco nova nunc ædificatur ecclesia. Est vero unus locus unius orationis in abside sinistra, alius in medio chori, tertius in abside dextra. Inter Geth-

semane autem et loca orationum medio spatio, in latere montis Oliveti, ubi turbæ Domino cum ramis palmarum occurrerunt, ex lapidibus locus altus factus est, in quo in die palmarum a patriarcha palmæ benedicuntur. Circa hæc itaque loca, cum Jesus paveret et caderet, adveniens Judas cum laternis et facibus et armis et ministri Judæorum comprehenderunt eum et angariaverunt et ad atrium principis sacerdotum seu Caiphæ perduxerunt. Quem cum tota nocte illusissent, mane eum judici Pilato præsentaverunt.

XXV. Lithostrotos in monte Sion, capella Domini cum columna flagellationis, ecclesia Galilæa, specus, in quem Petrus fugit, via dolorosa.

Quem post multas interrogationes cum eo habitas ad locum judiciarium duci fecit et sedit pro tribunali in loco, qui vocatur Lithostrotos, qui locus ante ecclesiam beatæ Mariæ in monte Sion in edito versus civitatis murum situs est: ubi capella venera-

bilis in honore Domini nostri Jesu Christi habetur, in qua pars magna columnæ exstat, circa quam ligatus Dominus a Pilato, post-quam crucis appensioni ab eo adjudicatus est, jussus est flagellari, ubi peregrini ad ejus exemplum flagellari solent. Ante ipsam vero ecclesiam in lapide ad crucis similitudinem facto hæc scriptura exarata est: Iste locus vocatur Lithostrotos, et hic Dominus fuit judicatus. Dehinc versus orientem ad dextram, ex alia parte plateæ, gradibus L descenditur in ecclesiam Galilæa nuncupatam, ubi duo circuli catenæ, qua beatus Petrus erat vinctus, habentur. Deinde ad sinistram altaris partem LX fere gradibus descenditur in subterraneum specum obscurissimum, in quem Petrus fugiens post negationem in ejus angulo latuit. Ibi enim depictus est residens et caput in manibus declinans pii magistri incommoda et suam deflet negationem, ancilla ei minaciter instante et gallo ante ejus pedes stante et canente. Huic ecclesiæ præsunt Armenii.

Hinc Dominus, per civitatis murum circumductus, in Calvariam, ubi tunc horti habebantur, nunc domus habentur, ductus et crucifixus est. Nam, sicut apostolus ait, Dominus extra portam passus est.

Et de Christo quidem et ejus locis ea, quæ visu didicimus, pro posse narravimus. Nunc quædam de ejus amicis et aliis locis nota referemus. Post hoc quædam a nobis visa, quædam ab aliis nobis relata dicemus.

XXVI. Palatium Pilati, ecclesia b. Annæ, piscina probatica, ecclesia et habitacula leprosorum, cisterna grandis hospitariorum, ecclesia b. Stephani, xenodochium in porta s. Lazari, ecclesia s. Charitonis.

Juxta viam, quæ ducit ad portam orientalem aureæ portæ vicinam secus domum vel palatium Pilati, quam eidem viæ contiguam esse supra diximus, ecclesia beatæ Annæ sita est, matris dominæ nostræ sanctæ Mariæ, ad cujus sepulchrum in subterraneum specum gradibus descenditur fere XX. Sanctimoniales in ea sub abbatissa Deo deserviunt.

Ad cujus aquilonalem partem qui progre-ditur, in valle profunda, juxta lapidosum quemdam collem, cui vetus quoddam opus incumbit, piscinam probaticam inveniet, quæ, sicut in evangelio scribitur, quinque porticus habet, in cujus ultima altare constitutum est. Quicunque muros circuit civitatis a turri David itineris initium faciens, juxta angulum occidentalem ecclesiam et habitacula lepro-sorum ornata et bene ordinata reperiet. Per-transiens autem cisternam grandem hospi-tariorum, antequam venias ad portam aqui-lonalem, ecclesia beati Stephani protomartyris in colle sita tibi occurrit, qui, per ipsam portam ejectus et a Judæis lapidatus, cœlos ibidem vidit aperte. Est autem in ipsa ecclesia media locus gradibus elatus, pariete ferreo septus, in cujus medio altare venerandum et cavum habetur, ubi locus lapidationis ejus fuit et cœli super eum apertionis. Hæc ecclesia abbati sanctæ Mariæ in Latina sub-jacet. In ipsa vero porta hospitale vene-randum habetur, quod græce xenodochium

vocatur. Per ipsam quoque viam cum aliquamdiu transiveris, ad sinistram viam carpens, versus orientem, ecclesiam quamdam, quam tenent Armenii, reperies, in qua quidam sanctus, nomine Chariton, requiescit, cujus ossa, ac si viverent, carne teguntur.

XXVII. Mons Oliveti, ecclesia salvatoris (sive ascensionis), ecclesiola b. Pelagiæ, ecclesia Pater noster.

Post hæc, cum tempus et hora dominicæ ascensionis instaret, conscenso Dominus monte Oliveti stans super lapidem grandem, videntibus apostolis ejusque benigna dignatione benedictis, cœlos ascendit. Est autem mons Oliveti, ut in anterioribus dictum est, omnibus circumpositis civitati montibus eminentior, omnium fructuum proventibus abundans, in cujus summo cacumine ecclesia summæ venerationis honori ipsius salvatoris articulata continetur. Nec enim locis ipsius Domini præsentia illustratis alia consecratio

104729B0

in partibus illis adhiberi solet præter ipsam certe montis altitudinem. In ipsam ecclesiam XX magnis ascenditur gradibus; in medio autem ipsius ecclesiæ opus quoddam rotundum magnifice pario marmore et cœruleo decoratum et alto culmine elatum existit, in cujus medio altare reverendum habetur, sub quo lapis ille videtur, in quo Dominus cœlos scandens stetisse perhibetur. In ipsa vero ecclesia canonici officia divina peragunt. Quæ et ipsa turribus magnis et parvis, et muris, propugnaculis et nocturnis custodiis valde adversus gentiles exstat munita. Exeuntibus de ipsa ecclesia versus occidentem ecclesiola subterraneo specu tenebrosa ocurrit, in quem cum gradibus XXV fuerit descensum, in sarcophago grandi corpus beatæ Pelagiæ cernitur, quæ ibidem inclusa in divino servitio vitam finivit. Item ad occidentem juxta viam Bethaniam tendentem, in latere montis Oliveti, magnæ reverentiæ habetur ecclesia, in quo loco residens salvator et a discipulis, qualiter orare deberent, in-

terrogatus eos orare docuit dicens: Pater noster, qui es in cœlis. Hoc eis propria scripsit manu. Hoc sub ipso altari scriptum est, ita ut illud peregrini osculari possint. A medietate quoque ipsius ecclesiæ in subterraneum specum gradibus fere XXX descenditur, ubi Dominus sæpe residens discipulos docuisse perhibetur.

XXVIII. Bethania, ecclesia b. Lazari, ecclesia Mariæ et Marthæ, cisterna Rubea cum castro, hortus Abrahæ, turres ibi et domus.

Igitur Hierosolyma in hac narratione quasi capite in corpore prætermissa, reliqua loca quasi membra huic corpori oportet inseri.

Sequitur ergo Bethania et ipsa nihilominus tam loci natura, quam operis firmitate munita, ubi venerabilis et duplex ecclesia sita est: una beati Lazari corpore, quem quarto die sepulturæ suæ a mortuis Dominus suscitavit quique XV annis Hierosolymorum ecclesiam rexit, altera sororum ejus, Mariæ et Marthæ, pignoribus gloriosa. Sanctimoniales

104729B0

ibi sub abbatissa Deo deserviunt. Hic frequenter Dominus et salvator noster hospitabatur. Ultra Bethaniam versus orientem, quarto ab Jerusalem milliario, in monte sita est cisterna Rubea cum capella, in qua projectus a fratribus Joseph fuisse perhibetur, ubi templarii firmum castrum constituerunt. Dehinc ultra tria milliaria hortus Abraham in planitie amœna juxta Jordanem, milliario semis ab eo, existit, cujus magnitudo duplex magnum et amœno rivo circumfluum includit campum. Cujus campi latitudo usque ad Jordanem, longitudo usque ad mare Mortuum descendit novalia omnium fructuum proventibus apta habens, lignis pluribus, sed tribulorum more exasperatis abundans. Ipsum autem hortum innumerabilium quidem pomorum, sed exiguorum generibus refertum vidimus; maturum vero hordeum in secunda palmarum feria ibi perspeximus. Turres ibi plures et domos ingentes violentia obtinet templariorum, quorum moris est, simul et hospitariorum, peregrinis ad Jordanem per-

gentibus conductum facere, et ne in eundo vel redeundo sive ibi pernoctando a Saracenis lædantur, illis providere.

XXIX. Jordanis, mons Quarantana, fons Helisæi.

Abhinc Jordanis milliario distat, cujus cursus flexuosus et rapidosus, secus montes Arabiæ decurrens, Mortuo mari se ingerit; nec ultra comparet. A Rubea siquidem cisterna usque ad prædictam vallem horribile interjacet desertum, in quod ductus est Dominus Jesus, ut tentaretur a diabolo. In fine namque ipsius deserti mons terribilis, altissimus et præcipitio singulari fere inaccessibilis existit, qui, sicut superius enormi attollitur vertice, ita inferius profunda et obscura horret valle. Hunc laici Quarantanam, nos appellare possumus Quadragenum, eo quod in eo sedens Dominus XL diebus et totidem noctibus jejunavit. Via ad eum locum, ubi Dominus sedit, scilicet in medio montis latere, non recta, sed multis anfractibus per-

plexa existit, quæ, passim labilis existens, ascendentes aliquando manibus repere cogit. In cujus altitudine janua exstat, quam dum intraveris et aliquantulum viæ transegeris, capellam specui additam, manuali opere factam, in honore dominæ nostræ consecratam reperies. Unde sursum via laboriosa in altum sine gradibus ducta progrediens et ipsius montis grandem et hispidam scissuram pertransiens per aliam ingredieris portam et, reflexo itinere semel et iterum, gradatim ad tertium ostium pervenies, quod subiens alta-riolum in honore sanctæ crucis factum cernes, et ad dextram ejusdem domunculæ sepulchrum cujusdam sancti, nomine Piligrini, ostenditur, cujus manus carnea adhuc demonstratur. Adhuc per gradus fere XVI in summum jam ascendens, in orientem altare venerandum et ad occidentem ipsius venerabilem locum sessionis Domini nostri Jesu Christi invenies, in quo, ut dictum est, XL diebus et totidem noctibus jejunavit, peractoque jejunio ei angeli ministraverunt. Hic

locus in medio ipsius montis situs est, quia ejus vertex tantum sursum eminet, quantum inferius profunditas patet. In cujus summitate saxum ingens conspicitur, in quo diabolus sedisse ad insidiandum ei perhibetur. Ab ipso monte spectus ultra Jordanem in Arabiam longissimo visu porrigitur, nec non et ultra mare Mortuum Aegypti termini pervidentur. Apex autem ipsius Quarantanæ et specus subterranei multis cibariis et armaturis sunt templariorum referti, nec enim fortiorem et paganis infestiorem possunt habere munitionem. In ascensu sive descensu montis hujus, ad radicem videlicet ipsius, fons magnus ebullit, qui et ipsum Abrahæ hortum et universam circumpositam planitiem irrigat. Ibi peregrini, ut dictum est, in planitie ipsius fontis rivo irrigua pernoctare solent, ut ad Quarantanam oratum pergant et aquis jordanicis se mundent. Tribus quippe lateribus ipsius horti adversus paganorum insidias tuentur, a quarto hospitariorum et templariorum custodiis observantur.

XXX. Ad Jordanem, locus, ubi Dominus baptizatus est, ecclesia et monasterium, castrum templariorum, Jericho, montes Gelboe.

Quem locum cum nos etiam pauperes orandi causa adissemus, aquis jordanicis cum cæteris mundari cupientes, post solis occasum, jam incumbentibus tenebris, descendentes et de ipsa altitudine in subjectam planitiem prospectantes secundum nostræ æstimationis computationem ad amplius quam ad LX millia hominum in ea consistere vidimus omnium in manibus fere candelas gestantium, quos sane omnes e montibus arabicis ultra Jordanem commanentes intueri potuerunt pagani: cum adhuc amplior numerus peregrinorum in Jerusalem moraretur, qui videlicet nuper applicuerant.

In ipso autem loco, ubi Dominus noster a Johanne baptizatus est, lapis magnus situs est, in quo fertur salvator noster stetisse, dum baptizaretur, et Jordanis ad eum venisse fluenta, non autem eum intrasse. Super ipsum vero littus Jordanis ecclesia quædam sita est,

in qua monachi sex habitantes a Sangino, Noradini patre, decapitati sunt. Est ibi et forte castrum templariorum. Redeunti recto tramite de Jordane versus Jerusalem in ipsa planitie campestri, antequam ingrediaris montana, Jericho occurrit, quam rivus ab ipsis scilicet montanis Jerusalem decurrens jugis præterfluit, quæ in parvum modo oppidum est redacta. Est tamen ipsa in fertili terra sita, ubi primum omnes fructus solent maturescere. Rosæ ibi plurimæ nascuntur, quæ foliis multipliciter exuberantibus dilatantur. Unde dominæ nostræ convenit illa comparatio: Et sicut plantatio rosæ in Jericho. Botris quoque maximis et præcipuis excellit. Hic locus ecclesiæ beati Lazari in Bethania ditioni subjacet, sed propter Saracenorum incursus inculta jacet terra. In hac via versus aquilonem, ad dextram, clare videntur montes Gelboe juxta prædictam planitiem siti.

10472980

XXXI. Desertum, Elim, vallis Moysis, montes Sinai, Hor, Abarim et Regalis, locus, ubi filii Israel Jordanem transierunt.

Desertum, per quod olim Dominus filios Israel transduxit, cum ascendissent de mari Rubro, inter Aegyptum et Arabiam interjacet, in quo eos pane cœlesti, sicut legitur, pavit et in quo eis aquam de petra produxit; illud vero desertum, in quo filii Israel XII fontes aquarum et palmas LXX reperierunt, in terminis Arabiæ existit: quod Elim appellatur. In Arabia quoque vallis est, quæ Moysi appellatur, eo quod ibi populo de petra aquam, percutiens virga bis silicem, produxit, de quo fonte tota nunc irrigatur terra. In eadem provincia mons Sinai habetur, in quo Moyses XL diebus et totidem noctibus jejunavit, sed et legem digitis Dei in lapideis tabulis scriptam ibidem accepit. Mons Hor, in quo sepultus est Aaron, in Arabia situs est, similiter et mons Abarim, in quo Dominus Moysen sepelivit, cujus tamen tumulus non comparet. Item in Arabia mons

est, qui appellatur Regalis, quem Baldewinus, rex Hierosolymorum, belli lege subactum christianorum ditioni subjecit. Hi sunt termini atque provinciæ, per quas filii Israel de Aegypto ascendentes et mare Rubrum transcendentes, percusso Sihon, rege Emoræorum, et Och, rege Basan, quæ provinciæ inter Idumæam et Arabiam sunt sitæ, Jordane transmisso, terram promissionis intraverunt; in ipso autem loco, ubi Christus est baptizatus, Jordanem transierunt, captaque Jericho in campestribus sita terram, ut dictum est, promissionis obtinuerunt. Arabia autem tempore transitus filiorum Israel solitudo erat in tantum, quod nec nomen provinciæ tunc habebat.

XXXII. Vallis Ennon prope Jerusalem, cisterna nova, capella s. Mariæ, ubi repausare solebat, Chabratha, sepulchrum Rachelis.

Quisquis per occidentalem urbis portam turri David contiguam exiens, reflexo versus meridiem calle, vallem Ennon duo civitatis

latera cingentem juxta novam cisternam pertransierit, ultra spatium dimidii milliaris ad capellam magnæ venerationis honori dominæ nostræ sanctæ Mariæ articulatam perveniet, ubi ipsa, cum de Bethleem Hierosolymam pergeret, frequenter repausare solebat. Ante cujus fores cisterna existit, ex qua transeuntes refocillari solent. Exinde campus existit, in quo plurimæ lapidum congeries positæ sunt, quas simplices peregrini illic ideo congessisse se gaudent, quia in die judicii in his sedibus se sessuros autumant, ubi etiam juxta locus, qui dicitur Chabratha, ubi Rachel, uxor Jacob, cum Benjamin peperisset, defuncta est. Qua ibidem sepulta, Jacob XII lapides super ipsius tumulum congessit, ubi etiam pyramis ejus nomini assignata consistit.

10412980

XXXIII. Bethleem, ecclesia s. Mariæ, capella nativitatis, præsepe, sepulchrum Josephi ab Arimathia et b. Hieronymi, locus: Gloria in excelsis.

Sequitur gloriosa civitatis Dei Bethleem, in qua secundum prophetarum vaticinia dilectissimus Dominus noster Jesus Christus homo natus est: in qua ecclesia venerabilis, episcopalis sedis honore præfulgens, habetur. Principale altare honori dominæ nostræ sanctæ Mariæ articulatum est. In fine vero dextralis absidis, juxta chorum, gradibus XXV in subterraneum specum descenditur, ubi altare reverendum et cavum, cruciolam solo tenus impressam habens, habetur, quod quatuor columnellis marmoreum et grandem lapidem gestantibus compositum est. In quo loco hi duo versus leguntur appositi:

Angelicæ lumen virtutis et ejus acumen,
hic natus vere Deus est de virgine matre.

Ad dextram autem seu versus occidentem in

eadem spelunca descenditur gradibus quatuor et ad illud præsepe pervenitur, in quo non solum jacuit fœnum animalium, sed cibus inventus est angelorum. Est autem ipsum præsepe marmore candido circumædificatum, habens superne tria foramina rotunda, per quæ peregrini ipsi præsepi optata porrigunt oscula. Est etiam ipsa crypta musivo opere venerabiliter decorata. Super ipsam autem speluncam capella venerabilis, dupliciter testudinata consistit, in qua altare venerandum ad meridiem et versus occidentem sepulchrum Joseph ab Arimathia in pariete constitutum demonstratur. Non longe autem a præsepio Domini Christi sepulchrum beati Hieronymi exstat, cujus corpus exinde a Theodosio Minore Constantinopolim translatum esse fertur. Super ipsam quoque ecclesiam stella cuprea, bene inaurata, hastili infixa refulget, significans tres magos ducatu stellæ, sicut in evangelio legitur, eo advenisse ibique puerum Jesum cum Maria, matre ejus, inventum adorasse. Milliario a Beth-

leem pastoribus angelus apparuit eosque claritas Dei circumfulsit, ubi etiam multitudo militiæ cœlestis adveniens Gloria in excelsis Deo cecinit.

XXXIV. Hebron, spelunca duplex, gleba rubra, Mambre, quercus.

Exinde ad meridiem juxta mare Mortuum vallis est Hebron, ubi Adam, de paradiso propulsus, habitasse et sepultus esse fertur. Hæc civitas in tribu Juda sacerdotum fuit et habitaculum gigantum erat, quæ Cariatharbe olim vocabatur vel civitas quatuor, eo quod illi quatuor reverendi patres ibidem in spelunca duplici fuerunt consepulti, scilicet Adam, protoplastus, Abraham, Isaac et Jacob, tres patriarchæ, et eorum quatuor uxores, Eva, Sara, Rebecca atque Lya. Hæc civitas antea vocabatur Arbe, in cujus agro, in extrema scilicet parte ejus, spelunca erat duplex, respiciens Mambre, quam pretio emit Abraham ab Ephron, filio Seor Hethæi. In agro autem ipsi civitati vicino gleba rubra

reperitur, quæ, ab incolis effossa, comeditur et per Aegyptum asportatur. De qua terra Adam fertur fuisse plasmatus. Hæc autem gleba, quantum in loco sive in profundo fuerit effossa, tantum anno sequenti virtute divina dicitur redintegrari. Juxta eandem civitatem mons Mambre situs est, ad cujus radicem quercus existit, quæ dirps a modernis vocatur, sub qua Abraham tres angelos vidit et unum adoravit eosdemque hospitio suscepit. Hæc quercus usque ad tempora Theodosii imperatoris, testante Hieronymo, perduravit, ex cujus trunco sive radice alia surrexit, quæ adhuc, licet ex parte arefacta sit, superstes exstans adeo medicabilis existit, ut quilibet equitans, quamdiu quicquam ex ea manu gestaverit, equus ejus non infundatur. In Hebron Caleb et Josue primo eorumque socii decem applicuerunt, qui ad explorandam promissionis terram a Moyse de Cadesbarne missi sunt. Hæc civitas postea davidici regni fuit exordium, quippe ex divino mandato VII in ea regnavit annis.

XXXV. Sepulchrum Loth, lacus Asphaltites, Segor, statua salis, Carnaim.

Secundo ab Hebron milliario sepulchrum fuit Loth, nepotis Abrahæ. Decimo milliario ab Hebron lacus Asphaltites versus orientem existit, qui et mare Mortuum dicitur, quia nihil vivum in se recipit, vel mare diaboli, eo quod ipsius instinctu quatuor illæ civitates, Sodoma scilicet et Gomorra, Seboim et Adima, in sua turpitudine perseverantes igne sulphureo cœlitus concrematæ et eodem lacu in locis præfatarum urbium exundante subversæ sunt. Ipsius vero stagni aqua tetro colore inhorrescit, fœtor quoque propius accedentes abigit. Annuali autem subversionis earum tempore lapides et ligna, nec non aliarum materiarum genera, in signum perditionis earum, ipsi lacui supernatare videntur. Juxta ipsum quoque lacum civitas est Segor, quæ et Bala et Cara dicitur, quæ precibus Loth de subversione liberata nuncusque permanet: in cujus exitu uxor Loth

104729B0

post tergum inspiciens in statuam salis versa est, quæ, hactenus perseverans, sicut luna decrescente continuo diminuitur, ita secundum ejus incrementum semper redintegratur, ad dorsum faciem habens conversam. Idem quoque lacus bitumen gignit, quod judaicum appellatur, multis navigantibus profuturum. Circa ipsius nihilominus ripas alumen reperitur, quod Saraceni katranum vocant. Præterea super ipsum lacum in descensu Arabiæ Carnaim civitas in monte Moabitarum sita est, super quem Balac, filius Beor, rex Moabitarum, statuit Balaam divinatorem ad maledicendum filiis Israel: qui propter vehemens præruptum excisus vocatur. Idem vero lacus Judæam dividit et Arabiam.

XXXVI. Gaza, Ascalon, Joppe, Arimathia, campus Abacuc.

Decimo milliario ab Hebron versus occidentem super mare Magnum sita est Gaza, quæ nunc vocatur Gazara: in qua Samson multas fecit virtutes, cujus etiam portas nocte

tulit. Milliario octavo a Gaza munitissima civitas Ascalon super mare Magnum sita est. Ipsæ civitates in Palæstina seu terra Philistinorum sitæ fuerunt. Supra littus ejusdem Magni maris Joppe sita est, in qua Petrus apostolus Tabitham suscitavit, quam moderni vocant Jafis. Ibi vicina est Arimathia, unde fuit Joseph nobilis decurio, qui Christum sepelivit. Ibi etiam campus, in terra scilicet Juda, unde ab angelo raptus est Abacuc propheta, quando intriverat panes in alveolo, et ibat in campum, ut ferret messoribus, et ductus est in Babylonem, ut ferret prandium Danieli in lacu leonum incluso.

XXXVII. Carnarium leonis juxta Hierosolymam.

Exeuntibus de sancta civitate versus occidentem per portam turri David contiguam ad dextram iter est ad quamdam capellam, in qua cum per gradus fere centum ad profundissimum et subterraneum specum fuerit descensum, innumerabilia reperiuntur cor-

10412980

pora peregrinorum, qui hoc modo illuc devenisse feruntur: Omnes, qui in uno anno ipso solemni causa orandi venerunt peregrini, civitatem Saracenis plenam reperierunt, et propterea intrare non valentes, nec recedere volentes, eos in civitate obsederunt. Sed nec arma, nec escas ad tam arduam rem explendam sufficienter habentes, defectu necessariorum vehementer arctari cœperunt. Et cum in defectu existerent, videntes Saraceni eos sibi non posse resistere, de civitate in eos subita eruptione omnes gladio interemerunt. Ascendente autem de tot hominum corporibus fœtore, omnia decreverunt ignibus exurere; ipsa autem nocte missus a Deo affuit leo, qui omnia illa corpora in illum specum, os angustum habentem, projecit. Illorum autem parva quælibet particula trans mare potest deferri, quin et, si carinis fuerit illata, naves sua sponte redire feruntur.

XXXVIII. Ecclesia sanctæ crucis, locus Silvestris (s. Johannis), montes Modin seu Belmont, Emmaus sive Fontenoid, montana Sophim, Ramatha, Bethoron, Silo sive ad sanctum Samuelem.

Sequitur ultra quemdam montem vallis fertilissima et amœna, in qua sita est ecclesia nobilis in honore Domini nostri Jesu Christi ejusque dilectæ genitricis, ubi in cavo altari locus ille venerabilis colitur, in quo truncus ille stetit, de quo crux est præcisa, in qua salvator pro nostra salute pependit. Huic ecclesiæ præsunt Suriani, quæ turribus, muris, propugnaculis adversus gentilium insidias fortiter exstat munita; etiam domibus, tricliniis, cœnaculis et habitaculis omnibus quibuscunque utilitatibus aptis et in altum culmen per maceriam sublevatis decoratur. Hanc arborem rex Salomon fertur proscidisse et in condigno loco usque ad salvatoris adventum, figura crucis ei imposita, reposuisse, prævidens utique in spiritu, salutem mundo per Christi mortem affuturum esse. Exin ad sanctum Johannem sive ad locum, qui ap-

pellatur Silvestris, transitur, ubi pater ejus Zacharias et mater Elisabeth manserunt, et ubi ipse sanctus Johannes natus est, ubi etiam sancta Maria, post acceptam ab angelo in Nazareth salutationem adveniens, ipsam sanctam Elisabeth salutavit. Huic loco vicini sunt montes Modin, in quibus sedit Mathathias cum filiis suis, quando Antiochus expugnabat civitatem et filios Israel. Ista montana a modernis Belmont appellantur. His montibus adjacet castellum Emmaus, quod moderni Fontenoid vocant, ubi Dominus ipso resurrectionis suæ die duobus discipulis apparuit. Hic juxta montana Ephraim, quæ vocantur Sophim, existunt, et mox Ramatha civitas grandis, quæ nunc Rames vocatur, de qua Helchana, pater Samuelis prophetæ, et Anna, mater ipsius, fuerunt. Juxta Sophim Bethoron, quæ nunc Beter vocatur. Inde ad dextram ejusdem plagæ vel occidentalis, duobus a civitate Hierosolyma milliaribus, in montem Silo ascenditur, a quo in subjectas valles aquæ dulcium fontium derivantur. Ibi archa

testamenti Domini mansit ab introitu filiorum Israel in terram repromissionis usque ad tempora Heli sacerdotis, cujus tempore ipsa archa, peccatis Hebræorum exigentibus, a Philistæis capta est et tamdiu ab eis retenta, donec cœlesti verbere tacti eandem archam plaustro impositam usque Bethsames post VII captionis ejus menses reduxerunt inviti, ubi, ira Dei tam in sacerdotes, quam in populum propter ejusdem archæ retentionem atrociter desæviente, adventientes habitatores Cariathiarim vel Cabaa deduxerunt eam de Bethsames et apud se reposuerunt, quam postea David rex et omnis Israel a Gabaa cum hymnis et laudibus deduxerunt et in civitatem David vel in montem Sion locaverunt. Post hoc cum Salomon rex templum Domini, ut supra dictum est, in monte Moria, ubi area fuit Areuna Jebusæi, ædificasset, ipsam archam in templo collocavit. In Silo quoque Samuel propheta fuit sepultus, unde, mutato nomine pristino, idem locus ad sanctum Samuelem appellatur, ubi etiam con-

gregatio virorum monasticæ professionis, qui grisi appellantur, existit.

XXXIX. Lydda, Cacho, Cæsarea Palæstinæ, Caipha mons (Carmelus) et oppidum.

Sexto deinde versus occidentem a Silo milliario in campestribus sita est Lydda, ubi sepultus fuit, ut fertur, sanctus martyr Georgius, unde idem locus, mutato nomine antiquo, ad sanctum Georgium a modernis appellatur. Abhinc jocunda et amœna planitie inter montana et maritima loca campestria, per viam, quæ ducit Achon vel Ptolemaidam, descenditur, in quibus plurimæ civitates et villæ tam antiquæ, quam novæ visuntur: inter quas Caphar Gamala, Caphar Semala, castellum a modernis Cacho nominatum, in fertilissima terra situm, civitas munita nunc Cæsarea Palæstinæ, olim turris Stratonis nuncupata, montana Caiphas, cui oppidum ejusdem nominis admodum dirutum adjacet: in quo XXX illi denarii, qui a Ju-

dæis pro pretio sanguinis Christi Judæ traditori dati sunt, facti esse referuntur, in cujus etiam summo cacumine templariorum exstat castrum, quod procul navigantibus continentem facit esse cognoscibilem.

XL. Castellum Accaron novum, lucus palmarum, Ptolemais.

Deinde super littus maris, e regione Accaron, in pingui gleba castellum ingens ejusdem nominis situm, quod vocatur novum, juxta quod lucus palmarum non mediocris existit, et mox ultra tria milliaria ipsa Ptolemaida, civitas grandis, locuples et populosa. Portus autem Ptolemaidis sive navium statio difficilem et periculosum plerumque habet accessum, dum, spirante australi vento, littoris ipsius latera, undarum ingentibus cumulis vehementer sese collidentibus, frequenti allisione quatiuntur. Nam ubi nullius montis objectu fervor maris comprimitur, ultra jactum lapidis super continentem undæ ipsius deterrentes effervescunt. In hac ipsa

civitate domum ingentis et admirabilis fabricæ super littus maris templarii constituerunt; similiter et hospitarii in eadem urbe domum magnifici operis condiderunt. Cæterum ubicunque peregrinorum naves arripuerunt, in portu istius civitatis omnes post reditus ipsorum de Hierosolyma ad eos reducendos oportet adesse. Denique ipso, quo ibi fuimus, anno in quarta paschalis hebdomadæ die LXXX naves in portu stantes numeravimus, præter navem buza appellatam, qua nos in eundo et redeundo usi sumus. In hac etiam via, quæ de Hierosolyma per prædicta loca usque Ptolemaidam dirigitur, plurimæ urbes et castella deserta, quæ a Vespasiano et Tito quondam subversa fuerunt, occurrunt, sed et castella validissime munita, quæ templariorum et hospitariorum ditioni subjacent, providentur.

XLI. Ecclesiola, ubi primum Hierosolymam vident peregrini, vicus Mahumeria et ecclesia s. Mariæ, alius vicus, Sichem sive Neapolis, Saraceni.

Duobus a sancta civitate milliariis ad aquilonalem plagam ecclesiola quædam existit, ubi ad primum ipsius civitatis intuitum peregrini, magno gaudio exhilarati, cruces ponere solent, ubi etiam sese discalceantes humiliter illum student quærere, qui pro ipsis pauper et humilis illuc dignatus est venire. Tertio abhinc milliario vicus grandis est, a modernis Mahumeria nuncupatus, ubi juxta ecclesiam in honore sanctæ Mariæ consecratam magna crux de lapide incisa et septem gradibus elata consistit, quos ascendentes peregrini turrim David in arce montis Sion, ut prædictum est, constitutam ultra quatuor milliaria non sine gemitibus contemplantur. Hujus vici antiquum vocabulum menti excidit. Abhinc VIIIº milliario iterum alius vicus grandis et magna montis altitudine consistit, a quo, cum præcipiti itinere fuerit

descensum, per spatiosam et speciosam planitiem et per quædam montana ad munitissimam civitatem venitur, quæ antiquitus Sichem sive Sichar, nunc vero Neapolis vel nova civitas dicitur. Per hanc viam nobis transeuntibus multitudo Saracenorum occurrit, qui omnes cum bobus et asinis incedentes magnum amœnitatis campum sunt aggressi proscindere, qui clamore horrisono, more eis non insolito, cum operis quippiam adoriuntur, intonantes terrorem non modicum nobis intulerunt: plurimi quippe ibi paganorum, passim tam in urbibus, quam in castellis, nec non et in vicis ejusdem provinciæ commanentes, sub regis hierosolymitani vel templariorum seu hospitariorum conditione terram colere consueverunt.

XLII. Iterum Sichem, fons Jacobi et ecclesia, Kain et Abel, terebinthus Rachelis, Bethel seu Luza, montes Garizim et Hebal.

Præfata vero civitas Neapolis in Samaria sita est, fontibus et rivis exuberans, vinetis

et olivetis et cuncti generis arboribus abundans, agrorum fertili cultura præcellens. In hanc veniens Dominus Jesus, fatigatus ex itinere, sedebat super fontem, ubi etiam cum muliere samaritana loquutus est. Puteus autem, super quem Dominus sedit, spatio dimidii milliaris distat a civitate, ante altare in ecclesia super eum exstructa situs, in qua sanctimoniales Deo deserviunt. Hic puteus fons Jacob appellatur, in prædio, quod dedit Joseph filio suo, situs. Hanc civitatem olim filii Jacob deleverunt, interfecto Sichem, principe ejus, filio Hamor Hevæi, eo quod Dinam, sororem eorum, violasset. Hæc inter Dan et Bethel posita est, in qua Jeroboam, rex Israel, duos vitulos aureos fabricavit, quorum unum in Dan, alterum in Bethel posuit. Juxta Sichem duo sunt montes: unus, in quo Kain de frugibus terræ munera Deo fertur obtulisse, ariditate squalens, alter, in quo similiter Abel munera de gregibus suis adipem Deo obtulisse dicitur, arborum et omnium fructuum ubertate præcellens. In Sichem

relata sunt ossa Joseph ex Aegypto, juxta quam illa terebinthus est, sub qua mater ejus Rachel idola, quæ Laban, patri suo, furata fuerat, abscondit. Inde versus orientem milliario distat Bethel, quæ prius Luza vocabatur, ubi immolatio Isaac a patre suo Abraham facta est, et ubi etiam Jacob, capiti suo lapidi supposito obdormiens, scalam ad cœlos subrectam et angelos Dei ascendentes et descendentes per eam et ipsum Dominum eidem scalæ innixum vidit. Ubi juxta mons Garizim, ex adverso monti Hebal oppositus, cernitur, de quibus Moyses benedicere et maledicere, secundum quod mererentur, instituit.

XLIII. Samaria seu Sebaste, crypta Helisæi et Abdiæ, sepulchra LXX prophetarum.

Sexto dehinc milliario Samaria, quæ et Sebaste, a modernis autem ad sanctum Johannem appellata, in monte non quidem alto, sed firmo consistit, a qua ipsa provincia Sa-

maria vocabulum sumsit: cujus ruinæ magnæ civitatis speciem demonstrant, quæ etiam ipsa tam agrorum, quam vinearum et omnium fructuum ubertate præcellit. In hoc loco discipuli beati Johannis Baptistæ, magistri, corpus, cum ab Herode Juniore in castello Machærunta pro pretio saltatricis esset decollatus, terræ dederunt, quod postea a Juliano Apostata combustum esse fertur. Caput vero ipsius Alexandriam primo delatum, postea ad insulam nomine Rhodos est translatum, quod postea a Theodosio imperatore Constantinopolim est perlatum. Ipsius etiam particula brachii ibi in magna veneratione habetur. Sepultus autem fuit in crypta inter Helisæum et Abdiam prophetas, in spelunca, in qua propheta LXX prophetas olim ibidem pavit, qui et ibidem sepulti sunt: ad quam gradibus XXXV intratur.

XLIV. Ginæa, Jezrahel, montes Gelboe, Scythopolis, castrum Sapham, mons Hermon, aliud castrum.

Abhinc milliario decimo Genin oppidum existit, a quo Samaria initium sumit. Quinto a Genin milliario exstat Jezrahel, quæ nunc ad Cursum Gallinarum nuncupatur. Unde fuit Naboth, quem pro vinea sua Jezabel impiissima lapidari fecit, quam postea Jehu ibidem pedibus equorum circulari fecit. Juxta Jezrahel campus est Mageddo, in quo rex Juda Ozias a rege Samariæ subactus occubuit. Hujus civitatis adhuc ruinæ plurimæ apparent, sed et pyramis nomini ipsius Jezabelis articulata. Milliario a Jezrahel montes Gelboe ad orientem cernuntur. Secundo quoque milliario ab ea civitas olim Bethsan vel domus Dei, nunc Scythopolis appellata, consistit, in cujus muro caput Saulis et capita filiorum ejus, allophyli cum eos in bello occidissent, suspendisse leguntur. Est autem Galilææ terminus contra orientem, cujus metropolis hæc civitas existit. In cujus vi-

cino monte præcelso hospitarii fortissimum et amplissimum castrum constituerunt, ut adversus Noradini, halapiensis tyranni, insidias terram citra Jordanem sitam possint tueri. Est et ibi juxta ad occidentem quoddam castrum templariorum, vocabulo Sapham, adversus Turcarum incursiones valde munitum. Abhinc versus mare Magnum mons Hermon, in cujus occidentali radice templarii castrum non mediocre fecerunt, in cujus agro cisternam grandem, rotalem machinam ad deducendam aquam habentem, constituerunt.

XLV. Tiberias, locus Mensa vocatus, mare Galilææ, mons, in quo Dominus pernoctare solebat, Paneas seu Belinas, Jor et Dan, Jordanis, planities Medan, vallis campestris.

Hinc amœnissima et fertilissima occurrunt campestria, in quorum termino versus aquilonis tractum Tiberiadis civitas super mare Galilææ sita est, ubi de quinque panibus et duobus piscibus quinque millia hominum Dominus satiavit. Inde locus idem Mensa

vocatur, et spectaculi adhuc ibi signa videntur. Huic et locus ille vicinus est, in quo post resurrectionem suam Dominus discipulis apparens partem piscis assi et favum mellis coram eis comedit. Hic est illud mare Galilææ, super quod Dominus ambulans circa vigiliam quartam noctis ad discipulos venit, ubi et, Petri super undas maris ambulantis et jam mergentis manum apprehendens, modicæ, inquit, fidei, quare dubitasti? ubi etiam alia vice discipulis periculum patientibus mare quietum reddidit. Juxta idem mare, non longe a Tiberiade, mons ille est, in quem videns turbas ascendit, et in quo, sæpius sedens et sermocinans ad discipulos et turbas in ipso monte, pernoctari solebat, ubi etiam leprosum curare dignatus est. Ad radicem Libani montis, qui est terminus Galilææ contra septentrionem, Paneas civitas est, quæ, postea a Philippo, tetrarcha Iturææ et Traconitidis regionis, renovata, Cæsarea Philippi appellata est in memoriam videlicet sui nominis pariterque

honorem Tiberii cæsaris, sub quo ipse regnabat. Hæc a modernis Belinas appellatur, quam anno incarnationis Domini nostri Jesu Christi millesimo CLXXI° pagani christianis eripientes sua in ea præsidia locaverunt. In hac bini fontes, Jor videlicet et Dan, simul oriuntur, qui, separatim usque ad montes Gibel, Jordanem efficiunt. Jordanis, ut in anterioribus dictum est, a montibus Gibel usque ad lacum Asphaltitem per vallem, quæ appellatur campestris sive grandis, dilabitur, continuis montibus ex utraque parte vallata a Libano usque desertum Pharan. Dividit autem cursus ipsius Galilæam et Idumæam et terram Bosra, quæ secunda a Damasco Idumæorum metropolis existit. Dan ab ortu suo subterraneum ducit gurgitem usque ad planitiem vocabulo Medan, ubi satis patenter alveum suum ostendit. Ad quam planitiem populus innumerabilis, secum omnia deferens venalia, æstate intrante convenit simulque ingens multitudo Parthorum et Arabum ad tuendum populum et greges, qui per totam

ästatem in illis locis demorantur. Ex ipsa planitie Dan Suetam peragrat, in qua pyramis beati Job adhuc superstes ab incolis venerabilis habetur. Deinde quoque contra Galilæam gentium ad urbem Cedar defluens et plana spineti, ubi medicabilia loca existunt, præterfluens Jor copulatur; Jordanis autem longe a Paneade lacu defluit ac, inter Bethsaidam et Capharnaum per mare Galilææ transitu facto, aliud initium sumit.

XLVI. Bethsaida, Cedar, Chorazain, Capharnaum, Bethulia, lacus Genezareth, Magdalum, Cinereth (Tiberias), mons Tabor, Naim, Endor.

Hæc est Bethsaida, unde Petrus et Andreas, Johannes et Jacobus Alphæi fuerunt. Quarto a Bethsaida milliario Chorazain, unde Antichristus creditur nasciturus pro eo, quod Dominus eis exprobravit dicens: Væ tibi, Chorazain, væ tibi, Bethsaida. Quinto a Chorazain milliario Cedar civitas excellens habetur, de qua propheta in psalmo: In-

// habitavi cum inhabitantibus Cedar. Capharnaum quoque in dextro ejusdem maris latere sita est civitas centurionis, cujus filium Dominus a morte suscitavit. Quarto a Tiberiade milliario Bethulia civitas sita est, ex qua fuit Judith, quæ Holofernem peremit. Quarto milliario a Tiberiade contra meridiem Dothaim, ubi Joseph fratres suos invenit. In sinistro latere ejusdem maris, sub cavo cujusdam montis, Genezareth lacus erumpit, qui undique montibus vallatur, qui nullius venti impulsione, sed proprii spiraminis emissione auram sibi metipsi fertur generare. Milliario secundo a Genezareth Magdalum oppidum, unde fuit Magdalena. Hæc autem provincia Galilæa gentium vocatur, in tribu Zabulon et Nephthalim constituta. In superioribus hujus Galilææ partibus XX illæ civitates sitæ sunt, quas Salomon rex Hiram, regi Tyriorum, dono dedisse Regum narrat historia. Secundo a Magdalo milliario Cinereth, quæ et Tiberias appellatur, sita est, de qua supra dictum est. Quinto a Tiberiade milliario

contra occidentem mons Tabor existit altitudine præstans, in quo Dominus noster Jesus Christus, coram tribus discipulis suis, transfiguratus est. In hoc monte nobilis ecclesia in honore ipsius salvatoris est constructa, in qua monasticæ professionis viri sub abbatis imperio Deo deserviunt. In hac quoque primitus missæ officium fertur celebratum. In hujus montis descensu Melchisedech, sacerdos Dei altissimi, et rex Salem Abrahæ a cæde Amalech revertenti obviam venit proferens panem et vinum. Secundo milliario a Tabor Naim civitas est, ad cujus portam Dominus filium viduæ a morte resuscitatum restituit. Supra Naim mons Endor situs est, ad cujus radices supra torrentem Cadumim, qui est torrens Cison, consilio Deboræ prophetissæ animatus Barach, filius Abinoem, de Jabin, rege Idumæorum, et Sisara, militiæ ejus principe, triumphans, Zeb autem et Zebee et Salmana, reges Ismahelitarum, Agarenorum, Amalechitarum et Ammonitarum, trans Jordanem prosequens, tan-

dem ab eorum insecutione reversus ipsum Sisaram a Jahel, uxore Haber Cinæi, clavo per ejus tempora solo tenus transfixo, reperit interemtum.

XLVII. Nazareth, ecclesia s. Mariæ, specus annuntiationis, sepulchrum Josephi, locus nativitatis b. Mariæ, miraculum in fonte Gabrielis, Præcipitium.

Quarto milliario a monte Tabor versus occidentem gloriosissima civitas in via, quæ ducit Accon, Nazareth sita est, in qua ecclesia venerabilis, episcopalis sedis honore præfulgens et nomini dominæ nostræ sanctæ Mariæ articulata, consistit. In hujus ecclesiæ sinistra abside per gradus fere XV in quemdam subterraneum specum descenditur, ubi versus orientem cruciola est in fundo cujusdam cavi altaris impressa, Christum eidem dominæ nostræ per Gabrielem archangelum ibidem nuntiatum fuisse designans; ad sinistram autem ipsius altaris partem vel ad aquilonem Joseph sponsus

ipsius, nutritius videlicet salvatoris, sepultus quiescit, cui etiam altare suppositum est. Ad dextram nihilominus vel ad meridiem locus, cruciolam solo tenus habens impressam, desuper arcuatus consistit, in quo beata Dei genitrix de matris suæ nascens utero prodiit. Hoc autem miraculum grande atque stupendum de hac civitate cunctorum ore narratur, quia, quotiens pagani eam impetere conantur, aut cæcitate aut qualibet cœlesti plaga a tali conatu reprimuntur. Fons in eadem civitate per cupellum, hoc est leonis, de marmore incisum, ebullit: ex quo infans Jesus sæpius haurire solebat et matri deferre. Hic fons tali ex causa originem fertur accepisse: Dum quondam ipse idem puer Jesus ad hauriendam de cisterna aquam perrexisset, ipsa hydria ex coævulorum lusibus confracta, in sinu tunicæ suæ haustam aquam matri, aliud vas ad ferendum non habens, detulit. Quam cum illa recusasset bibere, eo quod non satis honeste eam visus est detulisse, ipse quasi indignans de sinu suo eam in terram

projecit. Unde statim ille, qui adhuc manat, fons dicitur erupisse. Milliario a Nazareth contra meridiem locus est, qui Præcipitium vocatur, eo quod ex eo Judæi Christum præcipitare volebant, quando ipse transiens per medium illorum ibat.

XLVIII. Sepphoris, Chana Galilææ, castrum templariorum, Ptolemais, via inde Hierosolymam ducens superior et maritima.

Secundo a Nazareth milliario Sepphoris, civitas munita, via, quæ ducit Accon: ex qua fuit beata Anna, mater genitricis Christi. Quarto milliario a Nazareth, secundo a Sepphori Chana Galilææ contra orientem, unde Philippus et Nathanael fuerunt et ubi Dominus aquas convertit in vinum. Item tertio a Sepphori milliario castrum validissimum templariorum via, quæ ducit Accon, et mox ultra tria milliaria ipsa Accon sive Ptolemaida. Hæc igitur via, quæ ab Accon per Nazareth et Samariam atque Neapolim Hierosolymam ducit, superior vocatur, et illa, quæ per Cæsaream et Lyddam ab Accon Hierosolymam tendit, maritima appellatur.

XLIX. Damascus, Hus, Sueta, Theman, Naaman, Arphat, Amat, Sepharnaim, torrens Jabok, mons Seir, locus, ubi ex Saulo Paulus, fluvii Pharphar et Abana, planities Archados, Antiochia.

Arabia jungitur Idumæa in finibus Bosra. Idumæa provincia est Syriæ; Damascus autem metropolis est Idumæorum, quam civitatem Eliezar, servus Abrahæ, ædificavit in agro illo, in quo Kain fratrem suum Abel occidit. In Damasco olim Esau et Seir et Edom, a quo tota illa terra Idumæa vocata est; vocatur autem ejus quædam pars Hus, ex qua fuit beatus Job, pars quoque quædam Sueta vocatur, unde Baldach Suites fuit. In eadem provincia civitas est Theman, unde Elephat Themanites fuit. Ibidem est et civitas Naaman, unde Sophar Naamanites fuit. Arphat et Amat et Sepharnaim civitates sunt Damascenorum. In finibus Idumææ, secundo a Jordane milliario, torrens Jabok decurrit, quo transvadato Jacob, cum a Mesopotamia rediret, luctatus est cum angelo, qui de Jacob nomen ei mutavit in Israel. In Idumæa mons

est Seir, cui Damascus superposita est. Secundo a Damasco milliario locus est, ubi Christus Saulum stravit et Paulum statuit, faciens de inimico amicum et ex prosecutore veritatis doctorem. Ad radices Libani montis Pharphar et Abana, fluvii Damasci, oriuntur, quorum unus, scilicet Abana, planitiem Archados transfluens mari Magno se copulat. In illis finibus beatus Eustachius, uxore privatus et filiis orbatus, secessit. Pharphar per Syriam tendit ad Antiochiam, labensque secus muros ipsius, decimo ab urbe milliario in portum Solim, qui appellatur portus sancti Simeonis, mediterraneo mari sese immiscit. In hac civitate primo beatus Petrus pontificalem obtinuit dignitatem, quæ modo patriarchalis sedes existit.

L. Phœnicia, metropolis, Mamistra, Antiochia, Tripolis seu Tursolt, Gibeleth, Berytus, hic imago mirabilis.

Phœniciam et Idumæam Libanus dividit. Tyrus civitas metropolis est provinciæ phœ-

nicis, cujus habitatores Christum maritima loca perambulantem recipere noluerunt, ut Syri asserunt, sed ipse nonnisi ad oves, quæ perierunt, domus Israel se missum fuisse dixit. Hæ autem sunt civitates maritimæ magnæ atque muratæ, quæ in Syria, provincia Palæstina atque Judæa sitæ sunt, quæ christianorum subjacent ditioni: Mamistra et Antiochia nec non et Tripolis, quæ a modernis Tursolt appellatur, simul etiam civitas castrum continens munitissimum Gibeleth nuncupata urbes sunt Cœlesyriæ provinciæ. Sequitur ad meridiem Berytus in littore maris, a modernis Baruth nominata, civitas locuples et firma, grandis et populosa, in qua inimici crucis Christi Judæi imaginem ipsius aliquando, ei ignominiam putantes inferre, crucifixierunt. Qui cum universa, quæ patres eorum Christo in cruce posito fecisse didicerant, probra intulissent, latus etiam ipsius imaginis lancea pupugerunt, unde, cum sicut ex pendentis in cruce Christi latere sanguis et aqua profluxisset, hæc in vase recipientes, peccato

peccatum adjacientes, Deum temperare aggressi sunt, sed omnipotens Deus malo eorum usus est in bonum: cum enim, ut eum amplius invidere valerent, si divinæ virtutis efficacia subsecuta non fuisset, debilium ex eodem cruore membra delibuissent, videntes ex hujus sancti liquoris delibutione attactos statim validitatem recipere, professionis christianæ fidei colla submiserunt. Quæ icona hactenus in ejusdem civitatis ecclesia pontificali cathedra præfulgenti venerabilis observatur.

LI. Sidon, Sarepta, Tyrus, castrum Scandalium et castrum Imberti, Ptolemais aliæque civitates maritimæ.

Sexto decimo milliario a Beryto Sidon civitas egregia, ex qua Dido fuit nata, quæ in Africa Carthaginem condidit. Sexto milliario a Sidone Sarphan, quæ et Sarepta Sidoniorum, in qua Heliam prophetam vidua pavit, in qua etiam per eundem prophetam filium viduæ vel Jonam prophetam a mortuis resuscitavit Deus. Octavo a Sarphan milliario

Tyrus, quam moderni Sur vocant, in littore maris existit, omnes alias civitates turrium et mœnium firma munitione antecedens. Hæc enim quadrangula exstat, speciem insulæ præferens. Fere tria ejus latera mari cinguntur; quartum fossatis, barbicanis, turribus, muris, propugnaculis et minis fortissime communitur. Duos tantum habet exitus, qui quadruplicibus portis ex utraque parte turritis obfirmantur. Duplici portu, sicut et Accaron, insignitur, interius civili, exterius disposito peregrino navium comitatu; inter ipsos autem portus binæ in altum prominent turres ingenti saxorum mole compactæ, catenam maximam de ferro fabricatam pro janua continentes; intrandi et exeundi facultatem sicut clausa adimit, ita reserata concedit. Hæc civitas episcopali honore præfulget. Quarto dehinc milliario castrum nomine Scandalium consistit, per quod aquæ, superne erumpentes et inferius decurrentes, in mare ibidem dilabuntur. Tertio deinde milliario vicus grandis exstat, qui a modernis

castrum Imberti appellatur. Sequitur ultra quatuor milliaria Accaron sive Ptolemaida, et postea Caiphas nova atque vetusta ultra milliaria tria. Deinde etiam ultra milliaria sedecim Cæsarea Palæstinæ ab Herode rege cum adjacente portu insigniter exstructa. Itemque ultra XIIII milliaria Joppe sive Jafis cum portu propter australis venti flatum naufragoso. Post hæc nihilominus in ordine Gaza sive Gazara et civitas munitissima Ascalona, de quibus omnibus supra dictum est. Hæ omnes civitates maritimæ sunt, et omnes magnæ atque muratæ sunt.

Hæc de locis sanctis, in quibus Dominus noster Jesus Christus, servi forma pro nobis suscepta, corporalis substantiæ præsentiam exhibuit, partim a nobis visa, partim ab aliis veraci relatu cognita digessimus, sperantes lectorum vel auditorum animos in ipsius amorem per eorum, quæ hic descripta sunt, notitiam excitandos.

10412980

Innominatus I.

Incipit descriptio sanctorum locorum.

I. Si quis ab occidentalibus partibus Jerusalem adire voluerit, solis ortum semper teneat et hierosolymitani loci oratoria ita inveniet, sicut hic notata sunt.

II. In Jerusalem est cubiculum uno lapide coopertum, ubi Salomon sapientiæ librum scripsit, et ibi inter templum et altare in marmore ante aram sanguis Zachariæ fusus est. Inde non longe est lapis, ad quem per singulos annos Judæi veniunt et unguentes eum lamentantur et sic cum gemitu recedunt. Ibi est domus Ezechiæ, regis Juda, cui ter quinos annos ad vitam Dominus dedit. Deinde est domus Caiphæ, et columna, ad quam Christus ligatus, flagellatus, cæsus fuit. Ad por-

10412980

tam neapolitanam est prætorium Pilati, ubi Christus a principibus sacerdotum judicatus fuit. Inde non procul est Golgotha vel Calvariæ locus, ubi Christus, filius Dei, crucifixus fuit, et primus Adam sepultus ibi fuit, et Abraham ibi Deo sacrificavit. Inde quasi magni(o) lapidis jactu versus occidentem est locus, ubi Joseph ab Arimathia Domini Jesu corpus sanctum sepelivit. Ibi est ecclesia a Constantino rege speciose fabricata. A monte Calvariæ sunt XIII pedes ad medium mundi contra occidentem; a sinistra parte est carcer, ubi Christus carceratus fuisse narratur. In dextra parte sepulchri prope est monasterium latinum in honorem sanctæ Mariæ virginis, ubi ejusdem domus fuit. In eodem monasterio est altare, ubi Maria, mater Domini, stabat, et cum ea soror ejus Maria Cleophe et Maria Magdalena flentes dolentesque, quia in cruce Dominum videntes. Ibi dixit Jesus matri suæ: Mulier, ecce filius tuus, discipulo: Ecce mater tua. Ab hoc loco, quantum potest arcus bis mittere sagittam,

in orientali parte est templum Domini a Salomone factum, in quo a justo Simeone præsentatus est Christus. In dextra parte hujus templi Salomon templum suum ædificavit et inter utrumque templum porticum speciosam struxit columnis marmoreis. In sinistra parte est probatica piscina.

III. Inde contra orientem quasi ad mille passus mons Oliveti conspicitur, ubi Dominus Jesus ad patrem oravit, dicens: Pater, si fieri potest et reliqua, et in lapide Pater noster scripsit, et inde ascendit in cœlum, dicens discipulis suis: Ite docere omnes gentes, et cæt. Inter templum Domini et montem Oliveti est vallis Josaphat, ubi virgo Maria ab apostolis fuit sepulta, in qua valle mundum judicaturus est Dominus. Ibi prope est villa, quæ dicitur Gethsemane, ibique prope est hortus trans torrentem Cedron, ubi Judas Dominum Jesum tradidit. Inde prope est sepulchrum Isaiæ prophetæ. Inde ad mille passus est Bethania, ubi Lazarus quatriduanus a Domino suscitatus fuit. In

10412980

eadem parte contra Jericho ad milliaria XIII vel XVIII est arbor sycomorus, in quam Zachæus ascendit, ut videret Dominum Jesum. In alia parte ad mille passus de Jericho est fons Helisæi benedictus ab ipso commixtione salis. Inde ad quinque milliaria est fluvius Jordanis, in quo Dominus a Johanne baptizatus est, ab Jerusalem distans VIII leugis. Inde non longe est mons, unde Helias raptus est.

IV. Ab Jordane est via XVIII dierum usque ad montem Sinai, ubi Dominus in igne rubi apparuit Moysi eique legem dedit. Ibi est et hydria magna, quæ indeficiens oleum parturit. Mons Tabor distat ab Jerusalem itinere dierum trium, ubi Dominus transfiguratus est, in cujus montis pede dicitur esse Galilæa et mare Tiberiadis, quod non est mare, sed stagnum, de quo Jordanis egreditur.

V. In dextra parte urbis Jerusalem, quantum potest arcus jacere, est mons Sion, ibique est ecclesia a Salomone facta. Ibi Dominus

Jesus cœnavit cum suis discipulis, ibidemque eis spiritum sanctum misit. Ibi et virgo Maria migravit a sæculo et spiritum reddidit, cujus corpus sanctissimum apostoli in vallem Josaphat transtulerunt: in cujus montis pede est fons Siloa subito egrediens e terra.

VI. Inde non longe est Sichem, ubi Joseph veniens de valle Hebron quæsivit fratres. Ibi est villa, quam dedit Jacob Joseph, filio suo, ibique requiescit corpus ejus. Inde ad mille passus est Sichar, ubi Dominus mulieri samaritanæ locutus est. Inde non longe est locus, ubi luctatus est Jacob cum angelo.

VII. Ibi est Bethleem, civitas David, ubi Christus natus est, distans ab Jerusalem quatuor milliariis contra meridiem. Ibi est ecclesia marmoreis columnis ædificata, in qua est locus, ubi Christus natus est. Non procul hinc in dextra parte est præsepe Domini. Inde ad XII milliaria est castellum Abraham, quod dicitur Thocor, ubi ipse Abraham et Isaac et Jacob sepulti sunt cum uxoribus suis. In sinistra parte est mons Dominus

vidit, ubi locutus est Dominus cum Abraham, ubi et ipse Abraham filium suum Isaac immolare voluit.

Innominatus II.

I. Per viam superiorem ab Accaron in sanctam civitatem pergentibus occurrit civitas Nazareth. Inde per duas leugas est mons Tabor, quo Christus transfiguratus est. Ibidem prope Tiberiadis civitas est, juxta quam est mare Galilææ, ubi Dominus multa miracula fecit. Superius ad duas leugas est tabula, ubi Dominus satiavit V millia hominum de quinque panibus et duobus piscibus. Inde occurrit civitas Sebaste reliquiis sancti Johannis Baptistæ reverenda. Inde itur Neapolim, ubi est puteus, super quem sedit Dominus loquens cum Samaritana.

104729B0

II. Inde itur in sanctam civitatem, primo in ecclesiam sancti Stephani, ubi lapidatus est. Inde itur in ecclesiam sancti sepulchri, primo ad locum Calvariæ, ubi passus est Christus, ubi etiam tamquam voti compotes, adorato crucifixo, cruces scilicet tres quasi reconsignant. Inde itur in Golgotha, ubi scissâ petrâ Domini sanguis fluxit. Inde itur ad altare, quod suffultum creditur parte illius columnæ, ad quam ligatus et verberatus est Christus. Ibi in proximo descensu est locus, ubi sancta crux inventa est in crypta, desuper prominente petra. Medium altare in honore sanctæ Helenæ, sinistrum in honore sancti Quiriaci, qui et Judas fuit et crucem ostendit, et, viso resuscitati mortui miraculo, ad fidem conversus, factus est episcopus Jerusalem. In medio chori canonicorum est locus valde reverendus, eo quod Christus de cruce sublatus ibi, antequam ad sepulchrum ferretur, depositus est. Ibi lumen nunquam exstinguitur. Majus altare est in honore sanctæ Mariæ. Deinde visitatur sanctum sepulchrum.

10412980

Habet altare meridionali (latere septentrionali) ecclesiam satis ornatam in honore sanctæ crucis, ubi sancta crux servatur, juxta quam est etiam alia Surianorum ecclesia, in qua ipsi quoque sanctam crucem servant. Quasi in fine ecclesiæ, in meridiano (septentrionali) latere est locus, qui carcer dicitur, ubi Christus tenebatur in custodia, dum patibulum crucis præparabatur in monte. Sub V columnis ecclesiæ XL Martyres sepulti sunt, qui per hoc noscuntur, quod eorum sollemnitas celebratur VIII id. Martii. Juxta locum Calvariæ est locus ostii obclusi, in quo Hieronymus Adam dicit sepultum fuisse. Quidam quoque dicunt decurrentes guttas sanguinis ore eum habuisse et inde resuscitatum. Juxta ecclesiam majorem sunt III ecclesiolæ altare (latere) meridionali sibi contingentes, quarum proxima est in honore sanctæ trinitatis, ultima, quæ et plateam respicit, in honore Jacobi Majoris, et dicitur, quod Dominus in loco altaris medii sederit, et beatus Johannes a dextris, Jacobus a sinistris, quando

10412980

mater eorum petiit, ut sederent in regno suo, unus a dextris et alter a sinistris. Dicitur et sanctus Johannes stetisse in loco altaris sui, quando Christus commendavit sibi matrem. Ipsa quoque sanctissima virgo in loco, ubi nunc majus altare majoris ecclesiæ est, stetit, videns passionem filii sui. Extra majorem ecclesiam ad latus Calvariæ est capellula in honore Mariæ Magdalenæ, ubi steterunt III Mariæ tempore passionis.

III. Est ecclesia sancti Johannis Baptistæ quasi ex opposito respiciens ecclesiam majorem, tam propter sanctissimas reliquias, quaın propter celeberrimas eleemosynas honoranda. Ibi est videre, quod sint VI opera misericordiæ implere. Juxta est ecclesia sanctæ Mariæ ad Latinam antiquitate temporis et reliquiarum honore celebris. Ibi est caput sancti Philippi apostoli et de cribus sanctæ Mariæ.

IV. In monte Sion est locus, ubi spiritus sanctus super apostolos in igneis linguis apparuit et eorum corda illustravit. Ibi (Chri-

104129B0

stus) lavit pedes discipulorum et Thomæ latus palpandum præbuit. Ibi quoque Christus cœnavit. Eadem tabula est ibi, de qua cœnavit. Est autem idem locus præ foribus illius, qui dicitur spiritus sanctus. In latere meridionale est locus, qui dicitur Galilæa, ubi dictum est: Præcedet vos in Galilæam. Ex opposito in latere septentrionali est locus, ubi sancta Maria migravit de hoc mundo. In fine ejusdem lateris ad orientem est altare, sub quo sanctus Stephanus, Gamaliel, Abybas, Nicodemus sepulti sunt. Extra atrium in aquilone est ecclesia in honore sancti Petri, ubi prætorium fuisse dicitur. Extra civitatem est ecclesia, quæ dicitur sancti Petri ad Galli cantum, ubi ipse post ternam negationem et galli cantum se abscondit, et flevit amare. Est quoque intra muros ecclesia sancti Petri ad carcerem, ubi Herodes tenuit eum vinctum duabus catenis.

V. Ad templum Domini redeunti primo occurrit locus sanctæ præsentationis. Contiguus est locus, ubi Jacobus dormivit et

scalam vidit et cum angelo luctavit, et lapidem in titulum erexit. Sub choro in parte meridionali est crypta quasi in petram excavata, quæ dicitur Locus confessionis, eo quod Christo ibi sit oblata mulier, cui dixit: Nemo te condemnavit etc. Ad caput templi est capella sancti Jacobi, ubi præcipitatus et pertica fullonis occisus est. Est autem Jacobus Alphæi primus Jerusalem episcopus. Non longe monstrantur portæ aureæ, per quas Dominus, veniens per montem Oliveti, intravit Jerusalem in asina, pueris clamantibus: Hosanna filio David. Hæ portæ tantum die palmarum aperiuntur et exaltatione sanctæ crucis. Inde videtur locus, ubi cunæ et balnea et sepulchrum Simeonis est, ubi etiam ipse Christus cum Simeone anno et dimidio fuisse dicitur.

VI. Juxta portam civitatis, quæ respicit vallem Josaphat, est ecclesia sanctæ Annæ, matris sanctæ Mariæ, ubi etiam peperit et nutrivit manens ibi. Juxta est probatica piscina V porticus habens. Ibi est locus, ubi

lignum crucis venientibus ad piscînam præbuit diu transitum, quamvis templarii aliam piscinam ostendant, et eam probaticam esse dicant. Inde itur ad vallem Josaphat, ubi est sepulchrum sanctæ Mariæ. Ibi quasi præ foribus monasterii est locus, qui dicitur Gethsemane, ubi et eum Judas tradidit. Ibi est silex, quem dicunt cessisse digitis ejus. In eadem capella sunt quatuor loca distincta, ubi invenit discipulos dormientes ternos et ternos. Extra atrium, quasi ad jactum lapidis, est ecclesia in honore salvatoris, ubi ter oravit, et sudor sanguinis de ipso fluxit. Juxta claustrum Josaphat currit torrens Cedron. Infra vallem Josaphat sunt aquæ Siloe. Ibi etiam, ubi reclusi habitant, est capella in honore sancti Jacobi. Quasi in fine vallis Josaphat est Acheldemach, ager triginta argenteis in sepulturam peregrinorum emtus; ibi enim nulla sepultura negatur.

VII. Ascensuris in montem Oliveti primo occurrit ecclesia, quæ dicitur Pater noster,

quia ibi Christus docebat eos (discipulos) Pater noster. Ibi lapis positus est sub altare, ubi ipse græcis litteris scripsit digito Pater noster. Postea est ecclesia sanctæ Pelagiæ virginis. In ecclesia summo montis (superædificata) videtur locus ascensionis. Juxta non longe est Bethphage. Inde itur in Bethaniam. Inde itur ad Jordanem; primo Jericho, ubi hortus Abrahæ est. Ibi fluit rivus fontis de Elia ... ubi erant XII fontes et LXX palmæ. A sinistris venientium est locus munitus a religiosis personis, qui dicitur Quadrantena, eo quod Christus ibi jejunavit XL diebus. In summo montis est, ubi tentavit eum satanas. Inde itur ad Jordanem.

VIII. Est quoque locus, qui dicitur Carnarium leonis, extra civitatem Jerusalem, ubi corpora multa sanctorum quiescunt. Postea est monasterium Georgianorum, quod ad Truncum sive Stipitem dicitur, eo quod lignum sanctæ crucis ibi sectum dicitur. Super locum stipitis est altare positum. In via, quæ ducit Bethleem, est tumulus Rachel et

104729B0

locus, ubi Elias venerabilis habetur, et ei ecclesia constructa est. Locus, ubi Dominus natus est * ... ibi Hieronymus sepultus est. Ibi multæ sanctorum innocentium reliquiæ. Non longe locus est, qui dicitur Gloria in excelsis, eo quod, Domino nato, ibi auditi sunt angeli concinentes: Gloria in excelsis **. Euntes (euntibus) ad sanctum Abraham in Hebron primo invenitur radix (montis) Mambre. Ibi etiam nunc ecclesia est in honore sanctæ trinitatis. Apud Hebron est locus, ubi Abel Kain occidit, fratrem suum. Ibi quoque est mons, ubi uterque Deo obtulit de primitiis. Ibi etiam ostenditur terra, de qua creatus est Adam. Redeuntibus transeundum est per ecclesiam sancti

---

* Hier stehen für eine lücke die nicht passenden worte: Ibi est malleus, ibi clavus, quo fuit crucifixus.

** Hinten im ms. steht der theilweise hieher gehörige, übrigens tautologische, anderswoher eingeflickte satz: In valle inter montem Oliveti et montem Gion est loeus, qui ad Pastores dicitur, eo quod pastoribus ibi vigilantibus lux fulgens et angeli canentes nuntiaverunt natum Christum. Darauf folgt: In monte Oliveti, wie im kap. IX.

104729B0

Johannis Baptistæ, ubi ipse prædicabat baptismum pœnitentiæ in deserto. Ibi fons est aquæ indeficientis, qui tempore prædicationis suæ precibus ejus ebullivit. Inde itur ad sanctum Zachariam, ubi ipse cum sancta Elisabeth habitabat functus sacerdotio. Ibi sancta Maria sanctam Elisabeth salutavit, cujus infans exultavit in utero. Inde itur per castrum, quod dicitur Emmaus, ad sanctam civitatem.

IX. Juxta civitatem est locus Gion, ubi nunc est monasterium Græcorum. Juxta montem Oliveti a sinistris est monasterium Surianorum. In valle inter montem Oliveti et montem Gion . . In monte Oliveti est (videtur) lacus, qui Mortuum mare dicitur, ubi hæ quatuor civitates Sodomorum: Gomorra et reliquæ, submersæ sunt. In illum lacum intrat Jordanis et absorbetur.

X. In civitate est monasterium Jacobitarum, ubi est caput sancti Jacobi et brachium sancti Stephani protomartyris. Habent quoque Jacobitæ ecclesiam sanctæ Mariæ Magdalenæ,

ubi ostendunt de capillis ejus. In ecclesia sancti sepulchri janua, quæ respicit capellam Surianorum, in qua sanctam crucem habent repositam. Illa est porta, ad quam Maria Aegyptiaca stetit, nec intrare nisi post veram pœnitentiam potuit.

Innominatus III.

Hæc est via ad Terram Sanctam.

I. Primo de portu Brandiciæ, quæ est civitas in regno Apuliæ, transitur per mare tribus diebus et tribus noctibus usque ad Clarentiam civitatem, quæ jacet in Romania insula, ubi est clarum et optimum vinum et montes herbosi, et ibi est frequenter bonus odor et aer, et sunt in illa insula CXXIII bonæ civitates et pulchræ mulieres. De Cla-

rentia itur ad castrum civitatis thoronensis per mare C milliaria, ubi est insula bona, vineæ et oppidæ multæ et montes et nemora.

II. De Thorone itur per mare usque Candiam civitatem, quæ est in insula Græcorum, CCC milliaria. In illa insula sunt XII civitates optimæ, vineæ bonæ, arbores odoríferæ et fertiles, herbæ et aromata diversa et multæ divitiæ in lapidibus et pannis pretiosis. De Candia itur per mare usque in Cyprum DC milliaria, quæ est civitas in monte altissimo et parva insula, habens tantum IX oppidas, et vineas bonas et arbusta diversa. De Cypro itur per mare C milliaria usque ad portum Baffæ civitatis, quæ dominatur ultra CXII insulas maris. Ibi sunt vineæ optimæ et aromata et lapides pretiosi, diversa mercimonia, opifices subtiles, mulieres pulchræ et artificiosæ et devotæ valde. Ibi sanctus Marcus Evangelista prædicavit et multa signa fecit. Item de Bapha usque Lymatzu (Lamasol) civitatem sunt duæ diætæ per terram, et ibi est locus capitalis sancti Johannis Baptistæ

et etiam ordinis templariorum. Item de Lymatzu usque in Phamaostam (Famagustam) civitatem una diæta per mare, et ibi est caput ordinis sancti Lazari et sancti spiritus. Item de Nicosia itur per mare C milliaria usque ad civitatem Cypris. Et in illa insula sunt CXXX civitates et castra bona, vinum optimum et dulce, viri pulchri et fortes et animosi, multum regnum ditissimum. Ibi sanctus Patricius multa miracula in vita sua fecit; ibi etiam manet Johannes, qui Christum conduxit ad crucifigendum. Item de Cypris insula itur ad castrum Asarimum juxta mare versus regnum Armeniæ. Tota provincia Cypri habet in circuitu DC milliaria.

III. Ulterius eundo versus Jerusalem exitur de portu Phamum civitatis et itur per mare CCC milliaria usque civitatem Yaphe. Ibi incipit terra firma, id est, Terra Sancta. Item de Yaffa versus Jerusalem itur per terram XII milliaria ad Ramam, civitatem bonam et magnam.

IV. Item de Rama usque Jerusalem, civi-

tatem sanctam, sunt XXXVIII milliaria gallica per terram, et ibi est sepulchrum Christi. Ibi est ecclesia magna et rotunda, habens tria ostia pulcherrima de lapidibus marmoreis, in qua ecclesia est nunc locus Calvariæ, lapis magnus et altus ad staturam hominis: in quo lapide est foramen unum, quod dicitur esse in medio terræ, in quod foramen posita fuit crux Domini. Et parum longe a loco Calvariæ sepultus fuit Christus, et lapis, qui positus fuit ad ostium monumenti, est magnus et rubicundus. Et ultra sepulchrum Domini ardet frequenter lampas mirabiliter ornata, quæ singulis annis in parasceve, hora nona, per se exstinguitur et in die paschæ, hora resurrectionis Christi a mortuis, iterum per se incenditur. Quam lampadem dicitur Martha ad honorem sancti sepulchri constituisse et Lazarus, frater ejus.

V. Item de Jerusalem usque Bethleem civitatem est una diæta et (sive?) quatuor milliaria. In Bethleem Christus natus est ante civitatem, ubi est ecclesia ædificata ad

laudem inclytæ virginis, quæ nunc est in civitate. In qua ecclesia omnes dæmoniaci et habentes morbum caducum visibiliter liberantur et curantur, et multa alia miracula quotidie ibi eluscescunt. Singulis etiam annis media nocte, quando Christus natus fuit, tali hora omnes arbores circumcirca civitatem Bethleem inclinant ramos suos usque ad terram directe ad locum, ubi Christus natus fuit, et sole oriente paulatim sese elevant.

VI. Item de Bethleem est una diæta usque flumen Jordanis, ubi Christus a Johanne baptizatus est. Item de Jordanis flumine est unum milliare . . . ad montem Oliveti, et inter montem Oliveti et montem Syna (Sion) est vallis Josaphat, locus amœnissimus.

VII. Item de Jerusalem usque Nazareth sunt duæ diætæ, in qua civitate Gabriel angelus annuntiavit virgini Mariæ Christum. Ibi etiam est ecclesia pulchra ædificata, quæ dicitur annuntiatio Mariæ, ubi miracula multa facta sunt, et usque in hodiernum diem ibi coruscant.

VIII. Item in (valle) Josaphat est ecclesia magna de lapidibus constructa, in qua est sepulchrum venerandæ virginis Mariæ, in qua etiam est altare maximum quasi de uno lapide concisum, quod dicitur manibus angelorum constructus(m). In illa etiam ecclesia est frequenter odor suavissimus; sed hunc odorem pretiosum non omnes homines, sed tantum virgines et casti et devoti sentiunt. Ibi dicitur tanta esse indulgentia, quod, quicunque fidelis homo in die assumtionis gloriosæ virginis venerit in peregrinatione illuc contritus et confessus, absolvitur a pœna et a culpa.

IX. Item de Nazareth usque Jericho civitatem sunt quinque diætæ, ubi locus est amœnus, abundans vinetis, et terra fertilis, ubi et Dominus in via cœcum clamantem illuminavit. Ibi est ecclesia ædificata, quæ vocatur miracula Christi.

X. Item de Jericho usque ad Samariam civitatem, ubi est fons Jacob, sunt IIII diætæ. Juxta illum fontem Dominus siti fatigatus in

via petivit de una muliere peccatrice bibere. Item de Samaria.

Innominatus IV.

I. De Famagusta est propior via ad terram, ad Akris in triali (?) die, ad Yaf in tribus diebus et noctibus. Akris jacet inferius. Primo de regione Kypris itur per mare ad civitatem Yaf tribus diebus et noctibus. Item de Yaf sunt tria milliaria teutonica ad Ramatha.

II. Item de Ramatha est una diæta ad civitatem sanctam Jerusalem super montem Sion ædificatam. In Jerusalem est sanctum sepulchrum dominicum. Item extra civitatem sunt tria loca, ubi Christus oravit patrem. Ibi locus ostenditur sub eodem monte Oliveti, ubi discipuli sederunt aggravati somno. Item locus ostenditur ibi, ubi captus est Jesus

in horto. Item domus Hannæ ostenditur ibi, ad quem Dominus primo ductus est, intra civitatem. Item domus Kaiphæ est ibi. Item domus Pilati. Item et domus Herodis. Item locus est ibi, ubi Dominus flagellatus est. Item est locus, ubi damnatus est morti. Item per ferream portam Dominus crucem ad mortem bajulavit. Item ibi est locus, ubi mater virgo filio occurrit et eum vix cognovit præ nimia tribulatione. Et ibi sunt XV passus, ubi Dominus ascendit locum Calvariæ. Jacobus Major decollatus est in Jerusalem. Item ibi est locus, ubi crucifixus est, et crux fixa est in lapidem. Item est locus, ubi depositus est Dominus de cruce. Item ibi est locus, ubi Dominus involutus est in sindonem, et positus est in sepulchrum sanctissimum. Item ibi est locus, ubi Dominus apparuit primo Mariæ Magdalenæ post resurrectionem. Item ibi est locus, ubi Helena sancta invenit crucem sanctam Domini. Item ibi est locus, ubi crux Domini posita fuit super mortuum, et revixit.

III. Item ibi est locus, ubi Dominus apparuit discipulis, januis clausis, post resurrectionem in monte Sion. Item ibi est locus, ubi Thomas misit digitos in latus salvatoris in eodem monte. Item ibi est locus, ubi Dominus spiritum sanctum misit in discipulos in eodem monte. Item ibi est locus, ubi Dominus cœnavit cum discipulis suis in magna quintæ feriæ in eodem monte. Item in eodem monte jacet rex David. Item in eodem monte est domus sanctæ Mariæ, in qua habitavit post resurrectionem sui dilecti filii. Item ibi est locus, ubi infirmata et mortua est eadem inclyta virgo.

IV. Item ibi est domus sanctæ Annæ, matris (aviæ) Dei, in qua genuit virginem gloriosam. Item ibi est domus Simonis leprosi, ubi dimissa sunt Mariæ Magdalenæ peccata multa. Item ibi sunt quatuor statuæ, quæ sudaverunt sudorem sanguineum, sicut adhuc, compatientes Domino. Item Dominus in die palmarum intravit per auream portam.

V. Item extra civitatem est vallis Josaphat,

in qua est sepulchrum virginis Mariæ. Item ibi est natatoria Siloe, in qua se lavit ille, qui cœcus natus est, cui Dominus aperuit oculos. Item in civitate est templum Salomonis et probatica piscina. Item extra civitatem est ager figuli, id est, sanguinis.

VI. Item in monte Oliveti apparuit Dominus discipulis suis post resurrectionem. Item in eodem monte ascendit Dominus in cœlum. Item ibidem est sepulchrum Mariæ Aegyptiacæ.

VII. Item Gaffa, ubi nati sunt sancti apostoli Jacobus et Johannes Evangelista. Est a Jerusalem II diætas versus in boream.

VIII. Item mons Quarentenus, ubi Dominus jejunavit et tentatus est a diabolo. Est a Jerusalem bene quinque milliaria teutonica. Item hortus Abrahæ est ibidem, ubi prophetæ sancti sepulti sunt. Item Jordanis, ubi Dominus baptizatus est. Est a Jerusalem ad XII milliaria teutonica.

IX. Item Nazareth, ubi Dominus annuntiatus, conceptus est. Est a Jerusalem ad III diætas. Item Akkaron, ubi ager Domini est. Est

104729B0

a Jerusalem III diætas; eadem via Nazareth.

X. Item vallis Hebron, ubi Adam sepultus dicitur esse. Est . . a Jerusalem I milliare, ulterius IIII milliaria ad Hebron.

XI. Item Bethania, ubi Lazarum Dominus suscitavit a morte. Est a Jerusalem XV stadia. Ante castellum Bethaniæ est locus ad jactum lapidis, ubi Martha et Maria occurrerunt Domino pro resuscitatione Lazari. In Bethlehem (Bethania) est domus Simonis, in qua Dominum invitavit. Ibi etiam est domus Marthæ, ubi Dominus hospitatus est. Quæ domus est ecclesia facta in honore ipsarum. Item non longe a domo eadem est capella marmorea, ubi Lazarus suscitatus est.

XII. In monte Oliveti ostenditur descensus, ubi pueri Hebræorum clamabant Domino: Hosanna in exc., ubi etiam Dominus flevit super civitatem. Et proceditur inter locum orationis Jesu et locum captivitatis in Gethsemane, et venitur in Golgotha.

XIII. Josaphat in parte munivit civitatem, ubi est sepulchrum dominæ nostræ. Ibi nunc

est ecclesia, sed infra sub terra LX gradibus. Sed capella quædam est extra sepulchrum ante altare marmoreum, et sub ipsa capella est torrens Cedron. Et est humida ecclesia. Non longe ab ostio capellæ ejusdem L pedibus est ostium alterius ecclesiæ, quæ vocatur Gethsemane.

XIV. Sub monte Sion est fons Siloe, deinde piscina natatoria Siloe. Ab his ad jactum lapidis est Acheldemach, ager peregrinorum. Multa sunt in eo monumenta gloriosa. Ibi sepultus est Isaias, qui juxta fontem Siloe sectus fuit serra, et plus quam jacere posset, distat sepulchrum ejus a Siloe.

XV. Ecclesia sancti sepulchri est rotunda et tenet principatum, et habet per diametrum inter columnas LXXIV pedes præter absides, quæ habent per circuitum a muro exteriori ecclesiæ XXX pedes. Super sepulchrum Domini, quod est in medio ecclesiæ, est apertura rotunda, et est exterius undique tectum marmore, sed interius est rupes nuda, sicut fuit tempore passionis. Ostium ad istam

speluncam intrat ab oriente demissum valde et parvum. Tumba vero sepulchri est ad dextram intrantis, juxta parietem ad septentrionem, de marmore grisei coloris, VIII pedibus longa et ex omni parte clausa. Nec lumen potest haberi intus, quia nullam fenestram habet; sed pendent IX lampades sepulchrum illuminantes. Alia est spelunca ante speluncam Domini, ejusdem longitudinis et latitudinis et dispositionis intus et extra. Et videntur istæ duæ exeunti extra esse una; sed cum intraveris, videbis eas ab invicem per medium parietis separatas. Intratur autem primo ista, deinde illa, in qua est sepulchrum. In istam exteriorem intraverunt mulieres, quando dicebant: Quis revolvet nobis etc. Lapis iste advolutus fuit ad ostium interioris speluncæ, et jacet adhuc magna pars ejusdem lapidis ante ostium idem; alia pars translata est ad montem Sion pro altari. Mons Calvariæ distat a sepulchro CVIII pedibus. Locus crucifixionis est fossa profunda duobus palmis et tantæ latitudinis, quod caput hominis recipiat.

10412980

Vorläufer der noten zu Theodericus.

Wir haben hier keinen anonymus vor uns, sondern wir wissen, dass der verfasser Theodericus (Theoderich) heisst. Sei es auch, ich bin dennoch nicht im stande, von ihm etwas genaueres zu melden. Weder in Montfaucon's Bibliotheca bibliothecarum, noch in andern druckwerken, noch bei den tüchtigsten bücherkennern konnte ich etwas von ihm erfahren. Einiges licht gibt vielleicht eine stelle bei Johannes von Würzburg. Dieser sagt (Descriptio Terræ Sanctæ in Pezii Thesaur. anecdotor. noviss. t. I. p. III. p. 486, proœmium *: Johannes D. G. in Wirzburgensi ecclesia, id quod est, dilecto suo socio et domestico Dietrico salu-

* Eine handschrift von Johannes Wirzburgensis findet sich auf der universitätsbibliothek in Berlin, ms. lat. 32, oktav, pergament, vorne fol. 1 bis 31, aus dem 15. jahrhundert. Sie ist schön, korrekt und scheint, bei flüchtigem durchschauen, mit dem drucke ganz übereinzustimmen.

tem . . Inde est etiam, quod ego in Jerosolymitana manens peregrinatione . . tui tamen absentis non immemor, dilectionis tuæ causa loca venerabilia . . præcipue in civitate sancta Jerusalem, quanto expressius et studiosius potui denotando in eis facta, et epigrammata sive prosaice, sive metrice styli officio colligere laboravi; quam descriptionem tibi acceptam fore æstimo: ideo scilicet, quia evidenter singula per eam notata, tibi quandoque divina inspiratione et tuitione huc venienti sponte et sine inquisitionis mora et difficultate, tanquam nota tuis sese ingerent oculis: vel si forte illuc non veniendo hæc intuitu corporeo videre non poteris, tamen ex tali notitia et contemplatione eorum ampliorem, quoad sanctificationem ipsorum, devotionem habebis. Danach stellte Johannes von Würzburg in aussicht, dass Dietrich ihm in der pilgerfahrt nachfolgen werde, wodann eine beschreibung des h. Landes, zu ersparung von zeit und mühe, als anleitung dienen möge.

Man möchte vielleicht lieber Dietricus statt Theodericus lesen; allein diese form des namens kann nicht anstössig erscheinen. Im register der Monumenta Germaniæ histor. von Pertz sind Theodericus, Dietricus, Diotricus, Dietrich, Deodericus, Thieodericus, Thiedoricus, Thiadericus, Teodericus, Tio-

dericus, Thiadricus, Thiedricus, Thidricus, Tydericus, Tedericus, Terricus, Terri neben einander gestellt. Eine schwierige, weitere untersuchung nahm mir mit grosser gefälligkeit der Oberbibliothekar Ruland in Würzburg, an den ich mich deshalb wandte, ab. Er schrieb: Natürlich lässt sich solche (die von mir gestellte frage) nicht mit apodiktischer Gewissheit beantworten; allein Ihre Vermuthung (dass Theodericus der erwähnte Dietricus sei) hat die höchste Wahrscheinlichkeit. Von Wirzburg aus fanden manchfache Reisen nach dem Orient statt. So unternahm, nachdem S. Bernard den Kreuzzug gepredigt, Bischof Embrico als Legat König Konrads eine Reise nach Konstantinopel, wo er aber auf der Rückreise im J. 1147 zu Aquilea starb. Schon da lag es nahe, dass mancher Begleiter die heiligen Lande begrüssen mochte. Allein einen förmlichen Kreuzzug dorthin unternahm 1189 Bischof Embrico als Begleiter Friedrichs I. Die wirzburgische Chronik sagt (Ludewig Geschichtschreiber. S. 528): »Mit ihm zogen Hertzog Friedrich von Schwaben . . . der Bischoff von Passau, Bischoff von Münster, Bischoff von Osnabrück, Bischoff von Meissen und andere viel mehr Fürsten und Herren.« Andere Bischöfe, wie den von Lüttich und Basel, zählt Crusius (Annales Sueviæ II. Pg. 439) auf. In

die Zeit von 1147 — 1189 fällt offenbar auch der Joannes Wirceburgensis, den ich mit dem »Johann Gallen dem Frantzosen«, von dem Fries bei Ludewig S. 516 u. f. erzählt: » Unter diesem Bischoff (1160 — 1165) Heinrichen hat gelebet der hochberühmte, wohlgelehrte und erfahrene Singer, Dichter und zierliche Redner Meister Johann Gall, ein gebohrner Franzos, welcher bey regierung Bischoff Embrichen das gantze amt von dem heil. märtyrer St. Kilian und seiner gesellschaft . . . zusammen geordnet, gemacht und gestellet hat, wie man das heut zu tag noch singet und lieset. Darnach ist er zu einem Schulmeister für die jungen Domb-Herren und andere geistliche bestellt und angenommen worden« etc., für eine und dieselbe berühmte Persönlichkeit halte . . Indem nun dieser seine Schrift Descriptio Terræ Sanctæ dem dilecto suo socio et domestico Dietrico widmet, so ist nach dem Geist damaliger Zeit leicht annehmbar, dass dieser Dietricus, der vielleicht sein Schüler, mit dem er einst unter einem Dache wohnte — denn der Schulmeister (scholasticus) wohnte mit den Zöglingen in einer Communität — gewesen war, vielleicht auch selbst Begleiter oder im Gefolge des kreuzfahrenden Wirzburger Bischofs, — ein besonderes Interesse für das heilige Land, das er

allfalls selbst bereisen wollte, haben mochte. Darüber später selbst zu schreiben, lag sehr nahe. Es finden sich nun in damaliger Zeit in der Wirzburger Geschichte genannt: Theodoricus, Præpositus de Werdea, . Dietericus, Præpositus de Onolsbach, und könnte vielleicht einer . . (dieser) Theodorice oder Dietriche derjenige sein, dem Johannes seine Schrift widmete . . Die Verschmelzung des Theodoricus in Dietricus war eine in Franken ganz herkömmliche. Wer Theodoricus hiess, wurde auch Dietrich genannt, wie der Heilige selbst . . . Hiebei will ich nicht unbemerkt lassen, dass ich aus dem ganzen Mittelalter nur einen einzigen Theodoricus genannt finde, der eine Reise nach Jerusalem gemacht hätte, nämlich Theodoricus Virdunensis, um 1008 in Deutschland geboren, Domherr in Basel, 1047 Bisehof zu Verdun, dessen Epistola ad Prælatos und Epistola ad Gregorium VII. bekanntlich vorhanden sind.

Diesen verdankenswerthen mittheilungen Ruland's füge ich folgendes bei: In der mitte des zwölften jahrhunderts gab es einen Theodericus Carnotensis fama et gloria doctor nostri temporis excellentissimus. Pertz l. c. (histor.) 8, 257. Ein Theodericus Bernonensis, der 1160 lebte, schrieb einige homilien und geschichten. Jöcher's Gelehrtenlexikon

unter T. 1169 wurde Theodericus ejusdem ecclesiæ (metensis) primicerius. Pertz l. c. 10, 355. Aus dem j. 1179 kennt man einen Dietricus, bischof von Görz. Pertz l. c. 9, 632, 777. 1181 war Tiderícus bischof von Halberstadt. Pertz l. c. 16, 264. Im j. 1183 ward ein Thidericus als dekan von Bremen erwähnt. Pertz l. c. 17, 350. Aus dem j. 1184 führte man quemdam consectaneum . . nomine Theodericum, arte nigromanticum, professione monachum, scientia litterarum valde prædítum an. Pertz l. c. 8, 187. 1186 war Thidericus bischof in Ilsenburg. Pertz l. c. 16, 217. Aus dem j. 1190 bis 1194 kennt man einen abt in Hildesheim des namens Theodericus. Pertz l. c. 7, 858. 1195 wurde ein Dietricus præpositus niwenburgensis. Pertz l. c. 9, 619. 1208 erhielt in Köln Theodericus, der 1206 daselbst abt war, den bischofsstab. Pertz l. c. 16, 660 und 17, 823.

Aus dem styl des autors konnte Ruland darum keinen schluss ziehen, weil das manuskript ihm nicht vorlag, und ich will nun selbst an die untersuchungen in dieser richtung gehen. Eine ähnlichkeit in der darstellung ist unverkennbar; es kommen auch einige stellen vor, die bei Johannes W. und Theoderich fast wort für wort gleich lauten. Wo sie als augenzeugen auftreten, schreiben sie selbst-

ständig, man sieht dann ihren schriften wol einiges ähnliche, nicht aber das kopieartige an; allein die beschreibungen von gegenden, die sie selbst nicht sahen, ähneln einander zu sehr, als dass man nicht auf die meinung geführt würde, es habe entweder einer den andern im wesentlichen kopirt, oder vielmehr es haben beide, wenigstens Johannes W., wie auch Eugesippus-Fretellus und andere, aus einer und derselben, damals von hand zu hand gegangenen kurzen geographisch-historischen darstellung des heiligen Landes geschöpft, deren verfasser noch unbekannt ist, und die ich hier der kürze wegen das alte compendium nennen will. Einen fingerzeig gibt das vorhaben des Johannes W., nur über Jerusalem und die nahe umgebung zu schreiben (sacrosancta loca intra muros aut extra, utpote de quibus tantum intendimus scribere .. de his autem, quæ longe extra in adjacente sunt provincia, non proposuimus dicere, cognoscentes sufficienter jam ab aliis dictum fore. Proœmium). Es ist bemerkenswerth, dass gerade umgekehrt Thietmar (ed. Laurent 26), obschon viel zu sagen gewesen wäre, über Jerusalem deswegen sich kurz fasste, weil diese stadt von vielen ausführlich beschrieben worden sei. Freilich blieb Johannes W. seinem vorhaben nicht treu, da er besonders auch von den heiligen stätten

Galilæas berichtete, weswegen er den verdacht erweckt, dass er hier die rolle eines kopisten spielte, wenn man nicht lieber die meinung vorziehen will, dass eine andere hand der Topographie von Jerusalem und seiner nahen umgebung das weitere anhängte. Theoderich rückt dagegen offen mit den worten hervor, dass seine beschreibung theils auf persönlicher anschauung, theils auf glaubwürdigem berichte anderer beruhe (prologus, XXV und LI); aber auch da, wo er sich an den verax relatus anderer oder ans alte compendium hält, tritt er viel selbsständiger auf als der genannte pilger von Würzburg.

Johannes W. und Theoderich geben inschriften der kirchen, ersterer weit mehr, der es denn auch wirklich darauf absah, wie aus bereits mitgetheiltem erhellt. Es finden sich übrigens bei Theoderich inschriften, die man bei jenem vermisst, wie Venit in hunc loculum (V), Mors hic deletur (V), Ave Maria (VI), Crucifixum in carne laudate (VII), Ascendens Christus (VII), Aspice, qui transis (IX), Descensio Domini (XII), Corpore sopitus (XV), Dic, lapis et fossa (XVI), Iste locus vocatur Lithostrotos (XXV), abgesehen von den zahlen am tempel des Herrn (XV) und von der grabschrift Balduins I.

(XI). Wo beide die gleiche inschrift bringen, gewahrt man kein blindes abschreiben, wenn ich mich so ausdrücken darf. Z. b. ist die lesart des zweiten verses von Hic fuit oblatus (XV) ziemlich ungleich, ergänzt sind von Theoderich die inschriften Christus resurgens (V), Est locus iste sacer (mit Fulcher XII), Domus mea domus orationis (XV), Audi, Domine, hymnum (XV), Exaltata est sancta Dei genitrix (XXIII). Weil man bei keinem andern gleichzeitigen schriftsteller inschriften liest, so erscheint die annahme wol gerechtfertigt, dass bei Johannes W. und Theoderich etwelchermassen eine gegenseitige beeinflussung stattfand. Jedenfalls müssen die inschriften einander ergänzen.

Unsere untersuchung führt jetzt auf ein ganz anderes feld, auf das der distanzangaben. Wenn Johannes W. manche distanzen, wie die zwischen Jerusalem und Modin, Modin und Lydda, Bethlehem und Thekoa, Jerusalem und S. Zacharias (bei Ain Kârim), Jerusalem und Emmaus, verzeichnet, die bei Theoderich umsonst gesucht werden, so bietet dieser hinwieder einigen ersatz durch dort fehlende distanzangaben, wie die zwischen Jerusalem und der cisterna Rubea, zwischen dieser und Jericho, Hebron und Gaza, Silo und Lydda, Neapolis und dem Jakobs-

brunnen, Tiberias und dem berg Tabor, zwischen Sepphoris und Ptolemais, Tyrus und Scandalium, diesem und dem castrum Imberti; wo aber beide die entfernungen zwischen den gleichen ortschaften angeben, stimmen sie durchaus überein, mit wenig ausnahmen: von Neapolis nach Sebaste bei Johannes W. 4 meilen, bei Theoderich 6, von Bethsaida nach Chorazain bei Johannes W. 6, bei Theoderich 4, vom Karmel nach Cæsarea Palæstinæ bei Johannes W. 16, bei Theoderich 6 (das 10 fiel irrthümlicher weise weg). Die übereinstimmung ist so gross, dass sie keinem zufall zugeschrieben werden darf, man kann sich vielmehr der annahme nicht erwehren, dass einer den andern abschrieb oder, was vielleicht noch mehr für sich hat, dass beiden das alte compendium vorlag, das sie getreulich benutzten.

Die distanzangaben treffen aus diesem zeitalter auch bei andern schriftstellern zu, wenigstens bei den fränkischen; denn die griechischen, wie der mönch Epiphanius und Johannes Phokas, denen offenbar das fränkisch geschriebene alte compendium nicht bei der hand oder verständlich war, rechnen nach andern meilen und theilweise nach stadien, sind weniger vollständig und genau, ersterer zumal sehr unzuverlässig. Was die altfranzösischen beschreibungen bei de Vogüé (les Églises de la

Terre Sainte, das werk ohne nennung des verfas-sers theilweise verdeutscht in der Allgemeinen Bauzeitung von C. F. L. Förster, 1863, s. 17 ff., mit zeichnungen auf blatt 546 bis 551) und im 2. buch meiner Topographie von Jerusalem (1003 ff.) betrifft, so rechnen sie nach lieues, von denen eine einer stunde gleich kommt oder eine halbe (lieue) eine meile im alten compendium ausmacht. Unter den fränkischen autoren verweile ich zunächst beim sogenannten Eugesippus oder Fretellus, und da ich diesen meine studien vorzugsweise zuwandte, so will ich sie auch ausführlicher besprechen.

Leo Allatius gab in seinen *Σύμμικτα* bekanntlich Eugesippus' Tractatus de distantiis locorum Terræ Sanctæ heraus. Ein abdruck davon erschien auch, besonders paginirt, hinter des Josephi Genesii de rebus constantinopol. libri IV in Venedig 1733. Unter dem namen Fretellus wurde diese schrift zuerst in Stephan. Baluzii Miscellanea . . aucta opera et studio Joann. Domin. Mansi (Lucæ 1761), tom. I. p. 434 sqq., veröffentlicht. Fretellus widmete nach dieser ausgabe seine schrift dem grafen Raymund . . Mansi sagt (a. a. o. 602): Persimile mihi accidit in evulgatione libelli a Fretello archidiacono scripti De locis terræ Hierusalem; offendi enim illum jam evulgatum ab Allatio in suis *συμμίκτοις* sub nomine

Eugesippi cujusdam. Non tamen me pœnitet editionis meæ; est enim plenior et instructa præfatione seu epistola autoris .. habeantque (lectores) tanquam novum (opusculum) et autori suo, Fretello scilicet, nunc tandem restitutum. J. C. M. Laurent's ‚entdeckung' des Fretellus in Eugesippus bei Allatius hält mithin die prüfung nicht aus; immerhin aber ist sein aufsatz über Fretellus und Eugesippus in R. Naumann's Zeitschrift Serapeum, 1858, 101 ff., sehr beachtenswerth. Wenn behauptet wurde, dass Fretellus bei Mansi so gut wie für nichts zu rechnen und fast ganz unbrauchbar sei, so bemerke ich dazu, dass beide drucke, Eugesippus wie Fretellus, von fehlern wimmeln, letzterer noch schlechter sei, und dennoch varianten biete, womit ersterer berichtigt, wol auch ergänzt werden kann.

Ich kenne folgende handschriften von Fretellus:

